DE PARTICULIS COPULATIUIS
APUD PLAUTUM ET TERENTIUM

QUAESTIONES SELECTAE

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

H. SJÖGREN

UPSALIAE
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCC

DE PARTICULIS COPULATIUIS APUD PLAUTUM ET TERENTIUM

QUAESTIONES SELECTAE

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM
UPSALIENSIUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

H. SJÖGREN
LIC. PHIL. NAT. SMOL.

IN AUDITORIO IV A. D. VIII KAL. IUN.

H. A. M. S.

UPSALIAE
TYPIS DESCRIPSERUNT ALMQVIST & WIKSELL
MDCCCC

Praefatio.

In hac commentatione de usu particularum copulatiuarum Plautino et Terentiano disputare mihi in animo est. Forsitan quispiam miretur, quid sit, quod hanc potissimum rem in quaestionem uocem, cum a uiris doctis uideatur iam satis tractata esse. Nam in priore parte commentationis, quae *Grammatica Plautina* inscribitur (ed. alt. Berol. 1884), Aemilius Ballas de *et que atque* particulis disseruit, in altera de correlatione, de polysyndetis, de asyndetis egit. Terentianum autem usum perscrutatus est H. C. Elmer in opere suo "*Que, et, atque in the inscriptions of the Republic, in Terence, and in Cato*" (The Americ. Journ. of Phil. VIII p. 292 sqq.). Quae cum ita sint, iure quaerat quispiam, num quid restet de hac re quod amplius dici possit. Quod quamquam eorum, qui hunc libellum perlegerint, non meum est diiudicare, tamen duabus maxime de causis haud alienum uidetur totam rem denuo tractare, primum quod nostris demum temporibus perfectum est opus sane laboriosum, quo niti necessarium erit, si quis de Plautino sermone felici euentu quaesiturus est, editiones fabularum Plautinarum, quas curauerunt socii et discipuli Ritschelii, tum quod id, quod utriusque scriptoris proprium est, magis apparet atque exstat, si alter cum altero identidem comparatur.

Iam restat, ut breuiter dicam, qua ratione opusculum meum instituerim. Qui de particulis copulatiuis disputant, aut a ui et significatione particularum *et, que, atque* proficiscentes, quo luculentius appareat, quatenus uniuscuiusque fines pateant, eas seorsim tractare solent, uelut Ballas in libro supra laud., Merten, De part. cop. apud uet. Rom. scriptores usu, Marpurgi 1893, alii, aut quibus rationibus utantur scriptores in singulis

orationis partibus (substantiuis, adiectiuis, uerbis, cet.) coniungendis eruere conantur, uelut H. Klammer, Animaduersiones Annaeanae grammaticae, Bonnae 1878, Ringe, Zum Sprachgebrauch des Caesar, Goett. 1880, Bökman, De part. copul. apud Sallustium, Gothoburgi 1887, alii. Mihi quidem coniunctis demum rationibus illis rei susceptae satisfieri uidetur. Itaque rem ita institui, ut ab asyndeti usu profectus ostendere conarer, quibus modis Plautus et Terentius uocabula (substantiua, adiectiua, cet.) componerent. Sed opere procedente factum est, ut parum mihi nonnumquam constarem, uelut cum uno uel altero loco de enuntiatis componendis disputaui, si uel cum detrimento congruentiae utilitatis rationi seruire me posse putabam. Spero alio loco et tempore occasionem fore reliqua, quae ad hanc rem pertinent, perscrutandi, uelut locutiones quales sunt *atque equidem, -eccum, -adeo, atqui* (cf Leo, "Gött. Nachr." a. 1895 p. 421 sqq.); *et* pro *etiam* et in oppositione positum (cf Pers. 762; Aul. 229, sim., cf etiam Kunze, Sallustiana, III. p. 197. 41) sim.; *et non, ac non, neque, neue* (cf Seyffert, Ann. Burs. t. LXIII. p. 36 sq.), particulas disiunctiuas *aut, uel, -ue* ui copulatiua praeditas (cf Kunze l. l. p. 186, Langen, "Beitr." pp. 96. 338), alia. Quod si quis perlecto hoc libello inueniet me nimis pauca quae ad locos emendandos pertineant attulisse, hoc solum respondebo, me Plautini et Terentiani sermonis non tam peritum esse, ut nouas coniecturas, quae quidem mentione dignae sint, proferre possim et contentum fore, si ad minuendum numerum locorum, quorum scriptura codicum auctoritate munita iniuria suspecta fuit, uel quidquam adiumenti commentatione mea adferri potuerit.

In uersibus adferendis his usus sum editionibus: T. Macci Plauti Comoediae ex recensione Georgii Goetz et Friderici Schoell. Lipsiae MDCCCXCII—VIII. (G.-S.) P. Terenti Afri Comoediae rec. Carolus Dziatzko, Lipsiae MDCCCLXXXIV. (Dz.)

Scaenicae Rom. poesis fragmenta tertiis curis recognouit Otto Ribbeck. I. II. Lipsiae MDCCCLXXXXVII.—VIII. (Rbk.)

Antequam ad propositum transeo, de ui et natura asyndeti deque particulis copulatiuis pauca praefari mihi liceat[1].

Ἀσύνδετον, quo uocabulo Graeci utebantur ad figuram quandam orationis significandam (cf Aristot. Rhet. III. 12, Dionys. de comp. uerb. 9, Plut. Quaest. Plat. 10. 4, al.), Latini *dissolutum* uel *dissolutionem* appellabant. Uelut auctor ad Herennium IV. 30. 41 haec docet:

"Dissolutum est, quod coniunctionibus uerborum e medio sublatis, separatis partibus effertur, hoc modo: 'Gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus'. — Item: 'Descende in integram defensionem, noli quicquam recusare, da seruos in quaestionem, stude uerum inuenire'. Hoc genus et acrimoniam habet in se et uehementissimum est et ad breuitatem adcommodatum".

Cicero, qui de Orat. III. 207 hanc figuram quasi in transitu commemorat, Orat. 135 ἀσύνδετον inter lumina orationis enumerat: "cum demptis", inquit, "coniunctionibus dissolute plura dicuntur". Idem Part. orat. 21 constructionem uerborum coniunctionibus copulatam opponit ei, quae dissolutionibus quasi relaxatur; paullo infra (53) docet soluta, quae dicuntur sine coniunctione, plura uideri. Neque aliter de hac figura disseruit Quintilianus Inst. orat. IX. 3. 50, "quae", inquit "quia coniunctionibus caret, dissolutio uocatur, apta, cum quid instantius dicimus: nam et singula inculcantur et quasi plura fiunt. Ideoque utimur hac figura non in singulis modo uerbis, sed sententiis etiam . . . Hoc genus et βραχυλογίαν uocant . . . Contrarium illud est schema, quod coniunctionibus abundat: illud ἀσύνδετον, hoc πολυσύνδετον dicitur".

Eadem fere docent posteriores grammatici et rhetores, cf Gramm. Lat. ed. Keil I. 283. 445. IV. 399. V. 264. 304. VI. 456. Rutil. Lup. I. 15. Aquila Rom. 41. Iul. Rufin. 20. al. Uidemus igitur Romanos, qui his in rebus Graecis pro magistris utebantur, praecepta posuisse, quae ad asyndeton rhetoricum,

[1] Cf S. Preuss, De bimembris dissoluti apud scriptores Romanos usu sollemni, Edenkoben MDCCCLXXXI. (Preuss). E. Norden, De Minucii Felicis aetate et genere dicendi, Greifswald 1897, p. 29 sqq. — Woelfflin, Zum Asyndeton bei Sallust, "Arch. f. Lat. Lexikographie und Gramm." (A. L. L.) XI. p. 27 sqq.

quod uocatur, spectabant, quo uis quaedam atque incitatio orationis conficitur. Quod asyndeti genus, siue uocabula siue enuntiata dissolute componuntur, omnium fere linguarum commune esse constat, cf Ziemer, "Junggramm. Streifzüge" p. 51. Sed etiam aliud asyndeti genus, quod enumeratiuum dicimus siue copulatiuum, uetustissimi sermonis Italorum proprium fuit. Nam ut τρίκωλα uel exempla trimembris asyndeti omittamus, quae apud omnes fere scriptores latinos plurima exstant, bimembris dissoluti ingens praesto est copia exemplorum apud uetustiores scriptores et in prisca latinitate; uigebat illo tempore etiam asyndeton disiunctiuum, quod uocant. Sed progredientibus aetatibus magis magisque euanuit haec figura apud optimos quidem scriptores particulis copulatiuis uel disiunctiuis additis; sine particula perraro bina uocabula componebantur nisi in formulis quibusdam sollemnibus, quae a prisco illo loquendi more repetendae sunt. Neque pauca exempla exstant apud scriptores, qui fuerunt inde a Traiani imperatoris aetate. Persaepe autem factum est, ut addita copula asyndeta deformarent librarii.

De bimembris dissoluti usu sollemni ita disputauit Preuss in libro supra laudato, ut omnibus, qui in huiusmodi rebus perscrutandis uersantur, otium fecerit dumos sentesque excidendi atque negotium non aliud reliquerit quam per uiam munitam porro proficiscendi [1]. Addidit nonnulla ex iurisconsultorum sermone collecta Kalb, Das Juristenlatein, Erlang. 1887 p. 25 sq. De asyndeti usu apud ueteres nuper egit Otto Altenburg, De sermone pedestri Italorum uetustissimo (Annal. phil. Suppl. XXIV) p. 15 sqq. [2]. — Apud poetas scaenicos permulta

[1] De asyndeti usu Catulliano Preuss nihil habet p. 9 sqq., ubi de singulis scriptoribus breuiter disputat; cf Süss, Catulliana, Act. Sem. Erl. I. p. 13.

[2] Sed non semper, quantum uidi, ea qua par erat diligentia. De *pr. censtur* (Tab. Bant. 28) p. 15 u. Woelfflin A. L.·L. XI. 28; Cato de a. c. 103 (p. 16) *quarto quinto quoque die* part. disiunct. *aut* omisit, cf Keil ad l. Itaque Altenburg non debuit Trin. 287 *dies noctis canto* in comparationem uocare. Quod etiam de formulis quales sunt *esset fuisset, sunt erunt* sim. (p. 17) ualet, ubi *-ue* omissum est cf Altenburg p. 14 sq. Sed *-ue* et *-que* inter se sensu non multum differunt. Schneid. 293. 4. 6 (Altenb. p. 16) asynd. bimembre frustra quaeras; legitur enim: *ioudicium ioudicatio leitisque*

exempla exstant, sed Plautus et Terentius inter se ita differunt, ut ille omnino dissoluto bimembri faueat, hic plura exempla sollemnis asyndeti praebeat. Quae diuersitas ex ipso poetarum ingenio explicanda est: ille quo minus urbane locutus est, eo plura praebet exempla; apud hunc, amatorem puri sermonis, figura illa quasi antiqua ac plebeia fere euanuit nisi ubi affectus mouendi causa uocabula dissolute componit. Trimembri autem asyndeto Terentius haud minus crebro quam Plautus usus est.

De particulis copulatiuis quae homines docti praecipere solent his uerbis breuiter comprehendit Ringe l. l. p. 3: "*Et* verbindet ohne alle Nebenbedeutung Begriffe und Gedanken, die mit einander keinen Zusammenhang zu haben brauchen; *que* fügt Begriffe und Gedanken hinzu, die zur Erweiterung und Ergänzung dienen, und verbindet beide zu einem Ganzen; *atque (ac)* verknüpft wie *que* innerlich gleichartige Begriffe und Gedanken, weist aber noch mehr als *que* auf den innern Zusammenhang hin und hebt das zweite Glied als mindestens gleich wichtig hervor". Sed idem uir doctissimus monet uix fieri posse, ut leges normasque constituamus, quibus omnes teneantur, cum ne singuli quidem scriptores sibi semper constent. Hoc inde explicari posse uidetur, quod uocabula illa, quae in tam frequenti usu essent, ui primigenia mature amissa quasi sedes commutabant; unde factum est, ut scriptores structuras nullo quod sentiretur discrimine persaepe uariarent.

Apud poetas scaenicos *que,* quod in antiquissimis sermonis latini monumentis regnare constat (cf Elmer l. l. p. 294 sqq.), multo minus usitatum est quam *et, atque. Atque* plerumque ponitur, ubi metri ratio particulam illam flagitat; pro numero autem fabularum Terentius *ac* saepius usus est quam Plautus: Elmer l. l. p. 294 ex fabb. Ter. 66 exempla collegit, Waltzing,

aestumatio. Incerta sunt cum alia tum haec exempla: Claud. Quad. fr. 49 (Altenb. p. 17) *ne respueret uerminaret,* ubi *ne res publica uerminaret* proposuerunt homines docti (cf Peter in adn. crit. ad h. l. p. XVI); *municipis fundanos* (p. 16, Schn. 312, 164) asyndeton non est, cf *in municipio fundano* paullo supra 159; p. 17 Altenburg ex Tab. Iguu. IV. 21 adfert *persuntre antentu,* ubi *persuntre* Datiuum esse uel Locatiuum monet v. Planta, Gramm. der Osk.-Umbr. Dial. II. p. 748; "das Wort bezeichnet irgend eine Opfergabe", ib. p. 21. Sed haec hactenus.

Lexique de Plaute, Louvain 1900, p. 44 sq. ex fabb. Plaut. eundem fere numerum confecit. Quod quadam ex parte haud scio an explicari possit ex ingenio atque sermone utriusque scriptoris; uidetur enim *ac* grandi et nobiliori dicendi generi aptius fuisse [1]. Collocatur autem *atque* semper fere ante uocabula, quae a uocalibus incipiunt. Repugnant autem huic usui septem loci Terentiani (u. Elmer l. l.), centum fere Plautini (cf Waltzing l. l. p. 47 sqq.); nonnumquam codices Plautini *atque* praebent, ubi *ac* legendum esse uidetur (cf Skutsch, "Forsch." I. p. 53). -*que* raro uocabulis in -ĕ exeuntibus adhaeret (cf Harant, Rev. de Phil. IV. p. 25 sqq.) et semper primo sententiae uocabulo additur, (u. Ballas l. l. p. 19, Leo, "Gött. Nachr." a. 1895 p. 419 sq.; cf tamen Hec. 203. Pac. Trag. 96).

Haec praefatus ad ipsam rem transeo. Primum aptum uidetur de duobus uocabulis, tum de tribus uel pluribus inter se componendis disputare.

---

[1] Obiter moneo apud Petronium *atque (ac)* in iis partibus libelli nusquam occurrere, in quibus libertinos loquentes inducit, cf Segebade, Obseru. gramm. et crit. in Petron. p. 32. Neque auctori belli Hisp. particula illa placuit, u. Degenhart, De auctoris b. Hisp. eloc. p. 10. Quomodo Cicero hac in re structuras uariauerit breuiter exponit Merten l. l. p. 4.

Cap. primum: De duobus uocabulis inter se componendis.

I. Substantiua.

Substantiuorum, quae componuntur uel addita coniunctione copulatiua uel ἀσυνδέτως, tria solent distingui genera: aut contraria inter se sunt uocabula illa, aut idem fere uel simile aliquid significant, aut diuersa atque disparia sunt, siue ita componuntur, ut cognatio quaedam ipsa collocatione exsistat et notio quaedam communis membra illa complectatur, siue omni interiore ratione omissa copulantur. Omnium quidem horum generum multa exstant exempla apud Plautum et Terentium, sed eius quod primum posui generis usus non tam frequens est quam ceterorum. Neque desunt locutiones, quae quasi in confinio sint eorum quae supra dixi generum.

1. Substantiua inter se contraria

apud omnes fere scriptores saepe componuntur, ubi notio quaedam latius patens et communis uocabula illa comprehendit ita ut alterum altero suppleatur et ad describendum totum rei alicuius ambitum quasi termini ponantur. Nonnumquam tamen fit, ut notiones contrariae componantur, ut hoc ipsum appareat, notiones esse contrarias.

A. Asyndeton.

Cf Preuss p. 16 sqq. Heraeus ad Tac. Hist. II: 26. Primum nonnullos locos afferam, ubi uocabula illa contraria ad eandem stirpem pertinent (adiectiua uel participia substantiui uice fungentia):

Curc. 280:

Date uiam mihi noti [atque] ignoti, dum ego hic officium meum Facio . . .

atque del. Bentl. Cf Liv. Andr. Com. 3:

. . . ornamento incedunt gnobiles ignobiles;

cf Rbk ad l.

Asin. 247:

Dignos, indignos adire atque experiri unumst mihi.

Exitum uersus sanauit Vahlen; codd. *certumst* nullo metro[1].

Ad. 990:

Quia non iusta iniusta prorsus omnia omnino obsequor.

Cf Don. ad. h. l.[2]

Iam ad alias locutiones transeamus.

Trin. 287 b (omis. Preuss l. l. p. 33):

Haec dies noctes canto tibi ut caueas.

Sic A, cuius scripturam recte receperunt omnes fere edd.; asyndeton enim cum colore atque natura cantici illius optime conuenit. *Dies noctesque,* quod Leo Palatinos secutus (de ceteris inter A et P discrepantiis, quae in cantico illo haud pauca exstant, cf Baier, De Plauti fabb. rec. Ambr. et Pal. p. 88 sq.) praefert, legimus his locis:

Most. 22:

Dies noctesque bibite, pergraecaminei.

Asin. 602. Truc. 904; Most. 235. Rud. 380.

Eun. 193:

Dies noctesque me ames, me desideres.

Atque semel occurrit, Cas. 320:

Dies atque noctes cum cane aetatem exigis.

Si inuerso ordine se excipiunt uocabula illa, *et* usitatius est quam *que:*

Poen. 228:

Quae noctes diesque omni in aetate semper.

[1] Cf Pac. Trag. 371: Brutam (sc. aiunt Fortunam esse) quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

[2] Haut. 839 in omnibus libris sic traditur:

Quam multa iniusta ac praua fiunt moribus.

Bentley, Wagner, alii cum Eugraphio: iusta iniusta. Sed nihil est, cur a codicum scriptura recedamus.

Cf Titin. 13: Noctu diusque.

Asin. 753:

Philaenium ut secum esset noctes et dies.

Merc. 46. Stich. 5. Eun. 1079, u. infra. Capt. 717 una nocte . . . et die.

In fine uersus nonnumquam copulantur *que et* particulis:

Cist. 276:

⏑ — ⏑ — amoris noctesque et dies.

Andr. 676:

Conari manibus pedibus noctisque et dies[1].

Eun. 1079 δ E:

Fatuos est, insulsus, tardus, stertit noctesque et dies.

Cf Cas. 823:

Noctuque et diu ut uiro subdola sis.

Sed *noctu et diu,* quod Draeger "Hist. Synt. der Lat. Spr." II: p. 40 docet apud Plautum exstare, nusquam inuenitur.

Noctesque diesque traditur Amph. 168. Etiam apud alios scriptores structuras uariare monet Draeger l. l.

Pedibus manibus (Preuss p. 71) legitur in enumeratione

Most. 1118:

Cum pedibus manibus, cum digitis auribus, oculis labris.

C: *manibusq.* Terentius, qui translationibus multo liberius quam Plautus utitur[2], *manibus pedibus* eodem fere sensu atque *summa ui* posuit Andr. 676, u. supra. In δ *pedibusque* traditur, cf

Andr. 161:

Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia Facturum.

Poen. 819:

Is me autem porro uerberat, incursat pugnis, calcibus;

ubi uerba ad substantiua respondent.

Pseud. 608:

. . . Condus promus sum, procurator peni;

additur notio latius patens, cui comprehendendi uis subiecta

[1] Preuss p. 71 docet, *manibus pedibus* unam notionem conficientia cum *noctes et dies* per *que* copulari. Mihi quidem locutiones illae dissolute composita esse uidentur, cf Spengel ad l.

[2] Cf Langen, Die Metapher im Lat. von Plautus bis Terentius, Annal. Phil. t. CXXV: p. 673 sqq. Sed de hac locutione mentionem non fecit.

est. Auson. Ep. ad Paul. p. 274, Peip. Promusque quam condus magis.

Phorm. 556:

Noli metuere: una tecum bona mala tolerabimus.

Sic A; in codd. Call. *que* additum est, cf Sydow, De fide libr. Ter. p. 51. Per *que* particulam persaepe copulantur uocabula illa apud omnes fere scriptores.

Trin. 1066:

Quia boni malique in ea re pars tibist . . .

Perraro autem, ut uidetur, ordo uerborum invertitur, cf Tac. Hist. I: 10.

Eun. 541 (Preuss p. 37):

. . . Chaeream ei rei
Praefecimus; dati anuli; locus, tempus constitutumst.

De locutione illa prouerbiali *dictum (ac) factum*, cf. Haut. 904. 760. Andr. 381, nuper egit v. Wyss, "Die Sprüchwörter bei den Röm. Kom." p. 65[1]. Cf etiam

Enn. Ann. 338 M.:

Sed quid ego haec memoro? dictum factumque facit frux.

Ubi numero plurali posita erant uocabula illa, haud raro dissolute componebantur apud posteriores scriptores (cf Preuss p. 38); plerumque tamen addebatur *que* ("so bezeichnet *facta dictaque* alle Characteräusserungen, das ganze Thun des Menschen", Geisler, "Über *-que*", Philol. t. X. p. 97). Apud poetas scaenicos *et* inueni:

Amph. 285:

Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer, Accipiam . . .

ubi *male* ἀπὸ κοινοῦ positum est, u. Leo, De fig. serm. I. p. 39.

Eun. 941:

Ego pol te pro istis factis et dictis, scelus, Ulciscar . . .

Don. et nonnulli codd. *dictis et factis* praebent; utrum uerum sit difficile est diiudicare, cum uterque ordo uerborum apud scriptores occurrat (u. Preuss l. l., Geisler p. 104).

[1] F. Schlee, Ann. Burs t. XCIII p. 141 editores uituperat, quod in exemplis quale est Haut. 904 "dictum factum huc abiit Clitipho" post locutionem illam *dictum factum* punctum duplex (:) non posuerint. Quod cur necesse sit difficile est intelligere, cum locutio illa idem fere ualeat atque aduerbium *ilico*.

B. Particula copulatiua additur.

Ex eis, quae supra de ui et natura particulae *que* disputata sunt, concludere licet, hanc particulam ad constituendam artiorem notionum contrariarum consociationem aptissimam esse. Cf etiam Geisler l. l. p. 97 sqq. Ad exempla, quae iam allata sunt, nonnulla addam.

Ac primum quidem moneo, *ius fasque* formulam („menschliches und göttliches Recht"), quam Draeger l. l. II: p. 41 docet apud Plautum exstare, nullo loco inueniri; legimus enim

Cist. 20:

Amabo, hicine istud decet? :: Iusque fasquest.

Cf Hec. 387:

si ius si fas est.

Asin. 559:

Sicut ego possim, quae domi duellique male fecisti.

Sed Capt. 67 sq.:

Abeo: ualete iudices iustissumi
Domi duellique duellatores optumi

in fine u. 67 non est subdistinguendum (G.-S., Schoell), cum *domi* ad *iudices* spectet (cf Uss. et Sonnenschein ad l.); persaepe enim Plautus uocabula cohaerentia uersu seiunxit allitterationis causa uel ut uocabula contraria componerentur, cf Appuhn, Quaest. Plaut. p. 18 sqq.

Poen. 105:

Mari te<rraque is> úsque quaque quaeritat.

Lacunam post *te* solus D praebet; suppl. Cam. et Schoell.

Pers. 649:

Serui liberique amabant.

Trin. 234:

Ut utramque rem simul exputem, iudex sim reusque ad eam rem.

Asin. 157:

Remigio ueloque quantum poteris festina et fuge.

Mil. 137:

Nosque opera consilioque adhortatur, iuuat;

uerba ad substantiua inuerso ordine respondent. Trin. 189, u. infra. De *ope consilio* u. Preuss p. 84.

Pseud. 63:

Lege: dulce amarumque una nunc misces mihi.

Sed eadem uocabula per *atque* copulantur Truc. 346:

. . . nunc postquam scio
Dulce atque amarum quid sit ex pecunia.

Pseud. 694:

Dulcia atque amara apud te sum elocutus omnia.

Cf etiam Mil. 1395:

Facite inter terram atque coelum ut sit . . .

Enn. Trag. 217.

Most. 304:

Bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos conuenit.

Men. 88 esca atque potione; Merc. 809 erus atque alumnus tuos sum; Afran. 147 de uita ac morte domini.

Et particulae, quae apud Ciceronem saepe notiones contrarias coniungit, apud Catonem, Varronem, Cornificium fere semper, haec exempla adnotaui: Trin. 189:

Nunc ego te quaeso ut me opera et consilio iuues.

Cas. 176:

Domi et foris aegre quod sit satis semper est (Leo. Schoell: siet)

Cf Ad. 495:

. . . una semper militiae et domi Fuimus.

Ad. 957:

— ◡ nunc tu mi es germanus pariter animo et corpore.

ubi *et* ad *pariter* spectat, cf Paul, "Principien" [3] p. 272.

Mil. 280:

. . . ego istam insulturam et desulturam nil moror.

Videmus igitur difficile esse certas leges constituere, cum poetae, quamquam *que* particula notiones contrarias in unum comprehendere solent, siue metro coacti siue suum ipsorum arbitrium secuti structuras nonnumquam uarient. Sed in his quas iam tractabo locutionibus sermo Plautinus constantior est.

Haud raro componuntur duo substantiua, alterum masculini, alterum feminini generis.

a. Substantiua eadem stirpe formata sunt.

Permultis locis occurrit locutio *di deaeque* in comprecationibus, exsecrationibus, sim. formulis [1].

[1] In codd. Plautinis et Terentianis asyndeton nusquam, quantum scio, traditur. De Phorm. 687 Haut. 810 u. infra. Bentley quidem de *Di deae me faciant quod uolunt* cogitauit Most. 222, ubi Sonnenschein in ed. sua *Di*

1. Capt. 172:

Ita dí deaéque faxint . . .

Cf Merc. 793. Mil. 501. Most. 655. Poen. 460. Phorm. 976. Hec. 102 (in iamb. sen.) Curc. 720. Mil. 725. Enn. Trag. 288 (in troch. sept.)

2. Poen. 667:

Di déaeque uobis multa bona dent, quom mihi.

Epid. 396. Pseud. 37. Hec. 134 (in iamb. sen.) Most. 192. Pers. 292. 296. 298 (in iamb. sept.) Cist. 512. Pers. 666 (in troch. sept.) Eun. 302 (in iamb octon.) *Di* uocula ictu percutitur Poen. 1274 (Dí deaeque omnes, uobis . . .) Pers. 831.

Accusatiuus exstat Poen. 950:

Deos deasque ueneror qui hanc urbem colunt.

Inseritur *te* uocula enclitica (cf Wackernagel, "Indog. Forsch." I: 406 sq. Leo, "Gött. Nachr." a. 1895 p. 416) post primum sententiae uocabulum Pseud. 271:

Di te deaeque ament uel huius arbitratu uel meo.

Ictu percutitur Most. 464. 684; u. infra.

Et particulam poeta semel posuit metro coactus: Cas. 670:

Per omnis deos et deas deierauit.

Si *omnes* uocabulum additur, apud Plautum quidem post uocabula illa collocari solet: Most. 192:

Di deaeque omnes me pessumis exemplis interficiant.

Mil. 501; Most. 655; Poen. 1274.

Most. 684:

Di te deaeque omnis funditus perdant, senex. Cf u. 464.

Pers. 292:

. . . Di deaeque me omnes perdant.

Nonnumquam tamen inter *di* et *deaeque* inseritur: Cas. 279:

Qui illum di omnes deaeque perdant . . .

Poen. 859. Aul. 785. Semel ante ponitur, Cas. 670 (u. supra), qui locus etiam propter *et* particulae usum singularis est.

me et deae scripsit pro *di deaeque* Plautino. Bothe h. l. sanauit forma, quae est *diui*, pro *di* substituenda. Cf Seyffert, Stud. Plaut. p. 6 adn.

Sed inscriptiones et uetustiores et recentiores haud pauca exempla praebent. Cf C. I. L. XIV: 2086 deum dearum III: 1673. 4359 dis deabus. II: 4496 dibus deabus. II: 3359 D · D · S i. e. dis deabus sacrum III: 4775. 5070. 5155 D · D · O i. e. dis deabus omnibus.

Terentius quid in hac re sibi permiserit difficile est diiudicare, cum exempla tam pauca sint:

Phorm. 976: (= Most. 655)

Malum quod isti di deaeque omnes duint!

Eun. 302 codd. Call. *omnes* prebent, quo addito metrum pessum datur. *Omnes di deaeque* traditur duobus locis, qui a uiris doctis uariis modis temptati sunt: Phorm. 687:

Ut te quidem omnes di deaeque superi inferi
Malis exemplis perdant!

Hoc quidem loco *que* non ideo delendum est, quod uersus particulam non patitur, id quod Conradt Herm. t. X p. 108 docet; scandi enim licet aut cum Skutschio dí dĕaĕquĕ sŭperi inferi aut dí déaequé superi inferi; neque Hauleri uerba (in ed. Phorm.): "Auch scheint, wenn *omnes* vorausgeschickt ist, in der Regel *di deae* asyndetisch zu stehen" ad rem illustrandam quidquam ualent. Sed recte monuit Hauler *di deae* optime se habere, cum *superi inferi* asyndeton sequatur et locus ille colorem rhetoricum habeat.

Haut 810 sq. in libris sic traditur:

Ut te quidem omnes di deaeque quantum est, Syre
Cum istoc inuento cumque incepto perduint!

Codd. γ: *omnes quidem*. Hoc quidem loco cum Bentleio, Umpfenbachio, aliis (cf etiam Sydow l. l. p. 53) *que* delentibus facio, cum uerisimilius sit particulam in formula illa tritissima a librariis additam esse quam ordinem, quem constituerunt Dz., Fleck., alii, in eum, quem codices praebent, mutatum. Accedit, quod asyndeton cum magna eius, qui loquitur, animi commotione optime conuenit[1].

[1] Posterioribus temporibus quae fuerint locutionis nostrae fata exemplis allatis non exponit Draeger II: p. 44. Uidetur autem haec formula diu uiguisse. Uelut cf C. I. L. II: 432. III: 2880. 6289.

Catull. 28: 14: At uobis mala multa di deaeque Dent . . .
Hor. Sat. II: 3. 16 . . . Di te, Damasippe, deaeque Donent tonsore . . . /
Cic. Verr. V: 188: Deos deasque omnes imploro et obtestor
Liv. XXIX: 27. 1: Ubi illuxit, Scipio . . . "diui diuaeque", inquit, "qui maria terrasque colitis, uos precor quaesoque, uti . . ."
Senec. Ep. 95: 21: Di illas deaeque male perdant.
Petron. 101: Iurat per deos deasque. 79. 115. 125.

Que legitur etiam his duobus locis: Mil. 1340:

Conserui conseruaeque omnis, bene ualete et uiuite.

Trin. 78:

Quia omnis bonos bonasque adcurare addecet.

Sed *atque* optime se habet Trin. 1075:

. . . liberi quid agunt mei
Quos reliqui hic filium atque filiam? . . .

Cf Cas. 785 istum atque istam.

b. Substantiua ad diuersas stirpes pertinent.

Dissolute componuntur *seruos* et *ancillas* (quae ratio inter *ancilla* et *serua* intercedat breuiter exponit Bx ad Trin. 799) his locis, cf Preuss p. 79.

Trin. 799:

Seruos, ancillas amoue: atque audin? :: Quid est?

Cas. 521:

. . . Quin edepol seruos ancillas domo
Certumst omnes mittere . . .

Men. 339:

Ad portum mittunt seruolos, ancillulas.

Haut. 142:

Ancillas, seruos, nisi eos qui . . . Omnis produxi ac uendidi.

Epid. 210 sq.:

Tum captiuorum quid ducunt secum: pueros, uirgines,
Binos, ternos, . . .

Merc. u. 948 exitum Bugge sanauit hoc modo:

Ut ualuisti? quid parentes mei? ualent mater, pater:

Codd.: *metuat mater dati.* Solent autem haec uocabula per *atque* particulam coniungi, si *pater* ante collocatur: Poen. 1066:

Patrem atque matrem uiuerent uellem tibi.

Merc. 659. Pseud. 367. Rud. 1267 (acc.). Poen. 1063 (gen.). Inuerso ordine si uocabula illa se excipiunt, *et* usurpatur:

Cist. 718:

Nunc eam uolt suae matri et patri, quibus natast, reddere ultro.

Hoc quidem loco *patri* ante caesuram mediam collocatur; ceteris locis in clausula positum est (excepto Men. 1103):

Capt. 389:

Omnium primum salutem dicito matri et patri.

Capt. 549. Curc. 606. Eun. 840. 111. Quod etiam fit Eun. 517 sq., ubi inuerso ordine legimus:

. . . quam pridem pater Mihi et mater mortui essent.

Cfr etiam Naeu. Com. 95:

Deos quaeso ut adimant et patrem et matrem meos;

cur poeta uocabula illa ita collocauerit nemo non uidet. Ad extremum addo Cas. 782: nouom maritum et nouam nuptam. Cist. 705 bona femina et malus masculus; cf u. 723. Hec. 621 senex atque anus.

Di hominesque formula, quae apud alios scriptores saepissime occurrit, in fabulis Plaut. et Terent. non inuenitur. Semper fere *atque* ponitur: Pseud. 381:

Illic homo meus est, nisi omnes di me atque homines deserunt.

Cf u. 600. Genitiui tria exstant genera:

1. Curc. 694:

Quidquid est, ipse ibit potius : : Pro deum atque hominum fidem.

Epid. 580:

Ne ego me nouisse * * : : Pro deum atque hominum fidem [1].

Andr. 246. Haut. 61. Hec. 198. Men. 1053. Trin. 912.

2. Capt. 622 (cf Rud. 319):

At ita me rex deorum atque hominum faxit patriae compotem.

3. Amph. 1121:

Quis homo? : : Summus imperator diuom atque hominum Iuppiter.

Aul. 300. Merc. 842. Rud. 9.

Capt. 727:

Per deos atque homines ego te obtestor, Hegio.

Men. 990. Mil. 541. Poen. 823. Rud. 407. Trin. 520. Phorm. 764.

Et uno loco exstat, Rud. 346:

Si deos decepit et homines, lenonum more fecit.

Cf Bacch. 347: Deos atque amicos, Stich. 534: Deos . . . atque uxorem; Aul. 166 (= Capt. 324) uirtute deum et maiorum, Pers. 390.

Amph. 258 (in enumeratione):

Deduntque se, diuina humanaque omnia, urbem et liberos.

[1] Abraham, Stud. Plaut. p. 204 sq., ubi de uocis *deus* mensura disputat, his duobus locis *diuom* inserere uoluit; quod non necessarium esse monet Seyffert, "Berl. phil. Woch." V: p. 270.

Trin. 479:

Nam ibi de diuinis atque humanis cernitur.

Enn. Trag. 122:

Eho tu, di, quibus est potestas motus superum atque inferum.

2. Substantiua idem fere uel simile aliquid significantia.

Iam inde ab ultima antiquitate Romanorum proprium fuisse uidetur duo uocabula, quae idem fere significant, componere; qua re efficitur, ut una notio grauiter et accurate exponatur[1].

Apud Ciceronem quidem aliosque scriptores aureae quae uocatur aetatis uocabula illa particula copulatiua solent coniungi, sed in sermone Italorum uetustissimo asyndeton floruisse, praesertim si uocabula allitteratione continebantur[2], cum ex formulis sollemnibus, quae etiam apud posteriores scriptores in usu erant, tum ex exemplis Plautinis concludere licet[3].

Terentius autem non multa exempla praebet.

A. Asyndeton.

Rud. 839: (Preuss p. 85. Woelffl. Allitt. p. 8. 89)

Meamne ille amicam leno ui, uiolentia
De ara deripere Veneris uoluit?

Mil. 287: (Preuss p. 75. Woelffl. l. l. p. 13. 19. 58)

Forte fortuna per impluuium huc despexi in proxumum.

Bacch. 916. Eun. 134. 568. Nom. apud Plaut. non inueni, cf Hec. 386:

Quaeque fors fortunast, inquit, nobis quae te hodie obtulit

Phorm. 841[4].

[1] Cf Weise, 'Charakteristik der Lat. Sprache'[1], p. 19.

[2] Cf Woelfflin, "Über die allitt. Verbind. der lat. Sprache" ("Münch. Sitzungsber." a. 1881) p. 15: "nach diesen Ausführungen wird es nicht mehr zu kühn sein anzunehmen, allitterierende Synonyma seien im ältesten Latein *nur ohne Conjunction* an einander gereiht gewesen".

[3] Cf Lor. in praef. Pseud. p. 43. ad Mil. 287. Bx ad Trin. 302. Lachm. ad Lucr. p. 80.

[4] Sunt, qui hanc locutionem exemplis bimembris dissoluti adnumerari uetent, uocabula illa eodem fere modo composita esse rati atque *di penates*, *uentus turbo*, sim. Cf Asmus, De appositionis apud Plaut. et Ter. collocatione

Poen. 134 (omis. Woelffl.) in libris sic traditur:

Quibus pro benefactis fateor deberi tibi
Et libertatem et multas grates gratias.

Codd. scripturam retinuerunt Uss. et Leo, cf Leo ad l.; G.-S. (cf praef. ed. min. p. VII) testimonio libri gloss. nisi: (C. G. L. V. 176. 20) "Cauerna caua ut grata gratia aut rauca raua et laetam laetitiam Plautus dixit" *gratas* scripserunt adprobante Landgrafio, De fig. etym. linguae Lat. p. 48. Utrum uerum sit, diiudicare non audeo [1].

Amph. 179 sq. in libris legimus:

Merc. Hic qui uerna natust queritur.
Sosia: Sum uero uerna uerbero: numero mihi in mentem fuit

quod Palmer et Leo retinuerunt. Ceteri edd. uarias emendandi uias ingressi sunt: G.-S. Ritschelii coniecturam *Sum uero uere uerbero* receperunt; Uss.: *uerus uerbero*. Sed asyndeton prorsus Plautinum esse nuper monuit Siewert, Plautus in Amph. fab. quomodo exemplar graecum transtulerit, p. 13: uertit: "ich bin fürwahr ein frecher Schwätzer u. Thunichtgut": quod autem Plautus Sosiam uocabulum *uerna* a Mercurio in uersu priori usurpatum repetentem inducit (Mercurius enim ui quadam diuina, cf u. 56, Sosiae illud *uerna* quasi praeripit, nam Sosia orationem Mercurii non audiuerat, cf Niemeyer, "Berl. phil. Woch." III: p. 879), in eo homines Plautini sermonis peritos adeo non offendere credo, ut traditam scripturam

p. 24. Neque negari potest nomina illa quasi in unum coaluisse atque unam deam significasse, cf Varro L. L. VI. 17. Hauler ad Phorm. 841. Roscher Mytol. Lex. s. u. Sed ex exemplis qualia sunt Acc. Trag. 110: Quibus natura praua magis quam fors aut fortuna obfuit, ib. 182 fortunane an forte repertus, Lucil. XIII. 2. M.: Aut forte omnino ac fortuna uincere bello, sim. concludere licet nihil obstare quominus uocabula illa dissolute composita esse putemus. — H. l., ubi de uocabulis ad eandem stirpem pertinentibus disputatur, adferre liceat Poen. 132 . . . res multas . . . quas tu . . . Mihi reddidisti opiparas opera tua. Sic libri hiatu in caesura admisso. Quem ut tolleret, Lachm. ad Lucr. p. 80 ante *opera* inseruit *ope* (cf Langen 'Beitr.' p. 247), cf Cic. ad Att. XIV: 14. 6: omni ope atque opera enitar. Hiatum nuperrime defendit Maurenbrecher, 'Hiatus und Verschleif.' p. 188 sqq.

[1] Sed Trin. 821, quem locum libri sic exhibent:

Laetus lubens laudes ago et grates gratiasque habeo et fluctibus salsis

Landgraf l. l. temere mutauit nimio ardore omnia ad unam normam dirigendi incensus; u. infra.

uel eam ob causam defendendam esse censeant. Accedit quod *uere* aduerbii usus apud Plautum quidem rarissimus est (Capt. 960. Curc. 479. Stich. 192)[1] neque umquam, quod sciam, ad substantiuorum notionem intendendam adhibetur.

Amph. 1132: (Woelffl. l. l. p. 61)

Nil est quod timeas: hariolos haruspices Mitte omnes . . .

Poen. 791. Cf Mil. 693. Siewert l. l. p. 35.

Epid. 450:

. . . Nempe quem in adulescentia
Memorant apud reges armis, arte duellica
Diuitias magnas indeptum?

Most. 352 huc referre uelim:

Ita mali maeroris montem maxumum ad portum modo
Conspicatus sum.

Primum aspicienti *mali* adiectiuum esse forsitan uideatur (cf Bx ad Capt. 138, qui *mali* pro *uehementis* positum esse sibi persuasit). Sed in hac locutione *mali* substantiui uice fungi concludere licet ex locis quales sunt Epid. 84: . . . itaque in te irruont montes mali Merc. 617: Montes tu quidem mali in me ardentes iam dudum iacis. Neque desunt loci ubi *malum* substantiue positum cum substantiuis cognatae notionis particula copulatiua coniungatur: Mil. 279:

Maxumum in malum cruciatumque insuliamus . . .

Sed Pers. 574 poeta scripsit:

I in malum cruciatum . . .

Cf mala multa ingerere, Bacch. 875. Pseud. 359. Andr. 640; multa malaque dicta dicere Pseud. 372.

Aul. 722:

Tantum gemiti et mali maestitiaeque hic dies mi optulit . . .

ib. 732:

Quoi tanta mala maestitudoque optigit; cf Amph. 636.

Quae cum ita sint, ne id quidem, quod libri praebent Cas. 650, coniecturis lacessendum esse uidetur:

Malum pessumumque hic modo intus apud nos
Tua ancilla hoc pacto exordiri coepit.

---

[1] Apud. Ter. haud ita pauca exempla exstant: Andr. 885. Haut. 154. Eun. 175. Hec. 473. 796. Ad. 28. 125. 818. 955.

Brix Ann. Phil. t. XCI. p. 64 contendit, *malum pessumumque* a sermone Plautino abhorrere. Atque ex Amph. 590 *miserruma* ... *miseria* sim., (u. Lor. ad Mil. 959. Most. 161. cf Landgraf l. l. p. 47) elucet, *malum pessumum* Plautum scribere potuisse, quod Camerarius hoc loco introduxit adprobantibus Brixio l. l. Klotzio ('Altröm. Metr.' p. 64), aliis [1]. Cum autem *malum* persaepe substantiue positum sit (u. exx. supra allata), non uideo, cur negent *pessumum* substantiui uice fungi posse et cum *malum* eodem fere modo copulari atque alia substantiua: cf etiam Aul. 801 [2].

Asin. 245:

Nunc pergam ad forum atque experiar opibus, omni copia.

Adiectiuum ἀπὸ κοινοῦ positum est, u Leo, de fig. serm. I p. 7.

Rud. 675 b.

Neque ést melius morte ín malis rebús, miseriis.

Codd. scripturam retinuerunt G.-S. (cf praef. ed. min. p. XI) et Sonn., iamb. dim. acat. cum clausula Reiziana constituentes. Miror quod in hac structura multi uiri docti offenderunt. Velut Uss. et Leo. cret. tetram. constituerunt hunc in modum:

Par moriri est, neque est melius morte in malis Rebus miseris ...

una litterula deleta. Sed etiam cod. Senonensis T *meiseriis* praebet [3]. Uss. non dicit, quo modo h. l. interpretari uelit; uidetur autem adiectiua *malis* et *miseris* ad *rebus* in medio positum referre, quae collocatio perraro occurrit, u. infra. Leo *Rebus miseris* idem fere significare censet atque *cum res tam miserae sint* coll. locis ad Pseud. 1047 laudatis, (addo Phorm.

---

[1] Cf Schoell in App. crit.

[2] Video etiam Leonem *mali maeroris* ita interpretari ut *mali* uocabulo substantiui uim tribuat. Fortasse Aul. 279 uir ille doctissimus recte restituit Gronouio duce: Nam ecastor malum maerore metuo ne mixtum bibam (codd.: maerorem).

[3] Uniuersas lectiones codicis Senonensis T siue ex Turnebi siue ex Lambini testimonio siue ex exemplaris Bodleiani marginibus cognitas in unum collegit Lindsay, Philol. Suppl. VII p. 117 sqq. Non sum ignarus inter homines doctos non constare omnes illas lectiones e membranis Turnebi fluxisse; u. quae de hac re nuper disputarunt Sonnenschein et Lindsay, "The Class. Rev." XIII p. 222 sqq. 254 sqq. Sed Seyfferto persuasum est, lectiones, quae in marginibus exemplaris Bodleiani repertae sunt, e codice illo praestantissimo transscriptas esse, cf "Berl. phil. Woch." XIX p. 1046* sq.

791) et *in malis* pro *in malis rebus* positum esse. Sed Plautus uidetur non minus quam alii scriptores (cf Draeger Synt. I. p. 50) in neutris pluralibus substantiue ponendis eam legem secutus esse, ut raro iis casibus utatur, quorum forma communis sit cum genere utroque aut masculino; cf Wueseke, De Plaut. et Ter. usu adiectiua et partic. substantiue ponendi p. 33. Ut breui comprehendam: codicum scripturam existimo sanam esse ac ueram. Cf etiam Men. 1133:

Frater, et tu, quem ego multis miserieis laboribus
Usque adhuc quaesiui . . .

De formula illa *ui pugnando* uberius disputauit Woelfflin, "Münch. Sitzungsber." a. 1890: p. 304. Exempla Plautina haec sunt: Amph. 414:

Et legiones Teloboarum ui pugnando cepimus.

Asin. 555:

Vi pugnando periuriis nostris fugae potiti.

De spondeo in altero uersus pede posito cf Klotz "Altröm. Metr." p. 330[1].

Men. 1054:

Quom ego accurro teque eripio ui pugnando, ingratiis.

que traditur Mil. 267:

Res paratast: ui pugnandoque hominem caperest certa res.

Schoellio (cf praef. ed. mai. p. XXII) *que* uix defendi posse uidetur. Neque est cur hiatus in caes. med. scrupulum iniciat; sed *que* omnium codd. consensu munitum ideo retinendum esse censeo, quod Plautus persaepe cum enuntiatorum tum singularum uocum structuram ita uariauit, ut uix liceat omnia ad unam normam per uim exigere, quod progrediente quaestione nostra melius apparebit.

Men. 578: (Preuss p. 110)

Qui neque leges neque aequom bonum usquam colunt.

Ex adnotatione Brixii ad h. l. adscripta ("*aequom bonum* stehendes Asyndeton: Recht und Billigkeit") forsitan quispiam concludat, asyndeton semper usurpari; sed apud Plautum et Terentium, si ab hoc loco discesseris, particula copulatiua

[1] Quem ut euitaret, Fleckeisen in ed. sua uerba transposuit: Pugnando ui . . ., quod ipse postea improbauit Ann. Phil. t. CVII: p. 502. Itaque Preuss non debuit p. 71 de inuerso ordine uerborum mentionem facere.

semper additur[1]: Bonum aequomque oras ... Most. 682. Pers. 399. Rud. 184.

Haut. 642:

Quid cum illis agas, qui neque ius neque bonum atque aequom sciunt?

Optumum atque aequissumum (oras ...) formula sollemnis est: Capt. 333. Epid. 725. Pseud. 389. Stich. 728. Men. 1147. Cas. 375. Rud. 1029; Turp. 56; apud Ter. non inuenitur.

Inuerso ordine se excipiunt uocabula illa: Curc. 65:

... neque quicquam queo
Aequi bonique ab eo impetrare.

Phorm. 637. Haut. 788:

... Ceterum equidem istuc, Chremes, Aequi bonique facio[2].

Ad. 987:

Id non fieri ex uera uita neque adeo ex aequo et bono.

Phorm. 451: aequomst et bonum (in exitu uersus); Ad. 64:

Nimium ipse est durus praeter aequomque et bonum.

Trin. 302:

Tuis seruiui seruitutem imperiis [et] praeceptis, pater.

Edd. Bothio duce *et* expellunt; cf Leo 'Forsch.' p. 298 sq. in ed. sua particulam uncis quadratis inclusit.

Cf Amph. 991:

Pater uocat me, eum sequor, eius dicto imperio sum audiens;

quod Uss. (u. adn. ad u. 984 U., cf ad u. 290 U.) pro *eius imperio dicto audiens sum* positum esse contendit. Sed si exempla Plautina locutionis *audientem esse* perscrutabimur, apparebit uocabula illa dissolute posita esse; cf Gimm, De adiectiuis Plautinis p. 14. Pers. 399: dicto sum audiens; Trin. 1062. Asin. 544; dicto me emit audientem Men. 444. Additur

[1] Preuss p. 110 affert etiam Merc. 898; uerba eius haec sunt: "apud Plaut. Men. 578, cf *aequom melius* Merc. V. 2. 57. ubi comparatiuus pro positiuo ut aliis locis dictus uidetur". Sed de h. l. uirum doctissimum egregie fefellit opinio. Legimus enim l. l. (minutiis omissis):

... amicior mihi nullus uiuit atque is est
Qui illam habet: nequest quoi magis me melius uelle aequom siet;

ubi infinitiuum ab *aequom siet* pendere apparet. Cf Andr. 427. — De h. l. cf Seyffert, Ann. Burs. t. LXXX p. 296.

[2] Locutionis, quae est *aequi bonique facere*, h. l. uetustissimum exemplum exstat.

datiuus personae: ego sum Ioui dicto audiens Amph. 989; te mihi dicto esse audientem addecet Pers. 836. Cf Pers. 378: Futura's dicto oboediens an non patri? Bacch. 439: magistro . . . esse dicto oboediens. Sed Truc. 125 legimus: Tuis (*Tibi* P, cf Baier, De Plauti fabb. p. 157) seruio atque audiens sum imperiis. Cf Truc. 676: Dic inpera mihi . . . Poen. 1040 . . . dic atque impera Men. 52: . . . imperato et dicito. Uidemus igitur structuram, qua *dicto audientem esse* datiuo adiungitur, apud Plautum nondum fixam et stabilitam esse. Cf Palmer ad h. l. Apud Ter. nulla exempla inueni; cf Cato De agri cult. 142: dominoque dicto audiens sit.

Asin. 824:

Tu ergo fac ut illi turbas, lites concias.

Poen. 835:

. . . itaque in totis aedibus
Tenebrae, latebrae: bibitur, estur quasi in popina . . .

Merc. 47:

Perfidiam, iniustitiam lenonum expromere.

Amph. 898:

. . . me miseram arguit Stupri, dedecoris.

Pseud. 580:

. . . Ita paraui copias
Duplicis triplicis dolos perfidias, ut . . .

Cist. 649:

Ubi estis, serui? occludite aedis pessulis, repagulis.

Pseud. 1132:

Uenus mihi haec bona dat, quom hos huc adigit
Lucrifugas, damni cupidos, qui se suamque aetatem bene curant.

Capt. 531 sq. sic traditur:

Quam, malum? quid machiner? quid comminiscar? maxumas
Nugas ineptias incipisse: haereo.

quod Klotz "Altröm. Metr." p. 411 sq. retinuit (incepisse), cf Seyffert, "Berl. phil. Woch." IV. p. 1349; ceteri uiri docti uaria temptarunt, u. Schoell in app. crit. Cf Stich. 294:

An uero nugas censeas, nil esse quod ego nunc scio?

Adiectiua, quae substantiui uice funguntur, nonnumquam dissolute componuntur. Cf *aequom bonum* paullo supra.

Exempla Plautina haec sunt: Trin. 1046 sq.:

. . . nam id genus hominum omnibus
Uniuorsis est aduorsum atque omni populo male facit.

Plurimi edd. ex editione princ. *hominibus* receperunt; sed asyndeton Plauti temporibus in usu fuisse uel ex ea re concludere licet, quod locutio illa apud eos scriptores inuenitur, quos constat priscorum scriptorum loquendi consuetudinem imitatos esse[1].

Aul. 489 sq.:

. . . quo illae nubent diuites
Dotatae, si istud ius pauperibus ponitur?

Rud. 420:

Sed quid ais, mea lepida, hilara?

Uocatiuum persaepe substantiue positum esse monet Wueseke l. l. p. 41. Cf Asin. 472:

Impure, nili, non uides irasci? . . .

ib. 475 sq.:

. . . Perii hercle: age inpudice,
Sceleste, non audes mihi scelesto subuenire?

Uerbum, quod est *scelestus,* apud Plaut. duplici significatione praeditum esse constat; cf Lor. ad Most. 170. Sonn. ad Rud. 502.

Cas. 559:

Nunc ego illum nili, decrepitum, meum uirum ueniat uelim

Atque haud scio an recte huc rettulerit Leo Bacch. 1109:

Igitur pari fortuna, aetate ut sumus, utimur: : Sic est. sed tu,
Quid tibist? : : Pol mihi par, idem est quod tibi.

Cf Leo ad l. l.; ad Poen. 725.

Ex fabulis Terentianis adferre licet Phorm. 214:

Ui coactum te esse inuitum : : Lege, iudicio : : Tenes.

Cf Most. 126. Epid. 292. 523.

---

[1] U. Woelfflin, "Münch. Sitzungsber." a. 1880: p. 427 sq. Cf Front. p. 127 Nab.: Sed enim omnes uniuersos, quicumque . . ., si numerare uelis . . . Gell. XIX: 12. 1: Herodem Atticum . . . audiui Graeca oratione, in qua fere omnes memoriae nostrae uniuersos . . . longe praestitit. Apul. Met. VII: 5; cf etiam fragm. fab. inc. Plaut. 3: Gannit odiosus omni totae familiae; u. infra.

Eun. 1057:

. . . Hoc si effeceris
Quoduis donum praemium a me optato: id optatum auferes.

Cf u. 1055; u. etiam Don. ad l. — Phorm. 168:

Ut ne addam, quod sine sumptu ingenuam, liberalem nactus es

& *ac*. Cf Poen. 1344. Mil. 490.

Haut. 637:

At id omitto: misericordia, animus maternus: sino.

Acc. Trag. 254 (cf Woelffl. Allitt. p. 57):

Formae, figurae nitiditatem, hospes, geris.

Pac. Trag. 175:

Lamentas fletus facere conpendi licet.

B. Particula copulatiua additur.

Elmer l. l. p. 319. 19. de substantiuis similis et cognatae notionis inter se copulandis haec docet: "The particles seem to be used here indiscriminately". Quod non uerum est, nam apud poetas scaenicos *et, atque* multo saepius inueni quam *que;* cf Geisler l. l. p. 106 sq. (". . . darf der Schluss gezogen werden, dass Synonyma im allgemeinen von dieser Verbindung durch *que* ausgeschlossen sind"). Satis erit de locutionibus quibusdam sollemnibus pauca attulisse.

Epid. 312 (cf Woelffl. Allitt. p. 79):

Sed me una turbat res ratioque . . .

Cf Amph. 4. Pseud. 626: res rationesque.

Capt. 673:

Confecisti omnes res ac rationes meas.

Cf Rud. 674:

Sed nunc se ut ferunt res fortunaeque nostrae

Phorm. 473 (cf Caec. Stat. 171):

Loquere obsecro, quo nam in loco sunt res et fortunae meae.

Trin. 1177 (Cas. 435):

Beneuolens tuos atque amicus.

Uocabula illa per *et* copulantur, si inuerso ordine se excipiunt: Bacch. 475:

Nam ille amico et beneuolenti suo sodali sedulo

Most. 195:
Quae illum tibi aeternum putes fore amicum et beneuolentem. — Cist. 640. Cf Poen. 393 (mea inimica et maleuola). — Pseud. 699 (u. infra).

Bacch. 494:
Mnesiloche, hoc tecum oro ut illius animum atque ingenium regas.

Trin. 92:
Sunt quorum ingenia atque animos nequeo noscere.

Ad. 829 (cf Andr. 113 sq.):
. . . liberum Ingenium atque animum . . .[1]

Poen. 749:
Malum damnumque maxumum portendier.

ib. 465. Cist. 321. — Aul. 726:
. . . laetificantur Meo malo et damno: pati nequeo.

Hic ordo uerborum legitimus est (cf etiam Eun. 995: mali damniue, u. Langen, "Beitr." p. 338, Aul. 535 et m. et d., u. infra, Truc. 228 aut m. aut d.); repugnant autem huic usui, quantum uideo, duo uersus, qui metricam excusationem habent:

Trin. 219:
Famigeratori res sit cum damno et malo

Andr. 143:
Quid facias illi qui dederit damnum aut malum.

Uae capiti tuo (locos Plaut. adfert Richter, De usu part. exclam., Stud. Stud. I p. 630) idem fere ualere constat atque *uae aetati tuae* (cf Richter l. l.). Alteram locutionem cum altera Plautus coniunxit Rud. 375:
Uae capiti atque aetati tuae . . .

Cf ib. 1346:
Uenus eradicet caput atque aetatem tuam.

Hec. 334:
Aliquid tulisse . . . mali Capiti atque aetati illorum . . .

Truc. 177 (Pseud. 1272. 1321.):
. . . neminem hodie Mage amat corde atque animo suo . . .

[1] Ad. 297: Talem, tali genere atque animo, natum ex tanta familia. Sic libri. — Wagn. Umpf. Dz Bentleio praeeunte *ingenio* pro *genere* scripserunt, quod non opus est, cf Speng. ad l.

Capt. 374:

Quom copiam istam mi et potestatem facis

Mil. 971 sq.:

. . . ut eam copiam Sibi potestatemque facias . . .

Epid. 292:

Hic poterit cauere recte, iura qui et leges tenet.

ib. 523:

Legum atque iurum fictor, condictor cluet.

Rud. 643:

Quibus aduorsum ius legesque insignite iniuria hic
Factast . . .

Mil. 411 sq.

. . ., ut Ephesiae Dianae laeta laudes Gratesque agam[1] . . .

Cf Asin. 545:

Perfidiae laudes gratiasque habemus merito magnas

Et inuenitur Trin. 821 (cf Tac. Ann. I. 69):

. . . Neptuno Laetus lubens laudes ago et grates gratiasque habeo . . . quem locum homines docti non destiterunt coniecturis turbare, cf Schoell in adn. crit.

Haec de formulis sollemnibus dicta sunto. Uidemus igitur uix fieri posse, ut certis legibus normisque poetas scaenicos adstringamus, praesertim cum particulas copulatiuas in eisdem uocabulis coniungendis haud raro uarient. Quae cum ita sint uix necesse uidetur omnia exempla exscribere. Iam restat, ut

3. De substantiuis diuersis

nonnulla dicam.

Ac primum quidem, ut par est, eos locos adferam, ubi uocabula, etsi cognatae non sunt significationis aut simile quid significant, tamen ita componuntur, ut interior quaedam inter ea fiat connexio.

Huc pertinere uidentur asyndeta qualia sunt

Pers. 566: (Omis. Woelffl. Allitt., cf A. L. L. III. p. 448.)

Euortes tuo arbitratu homines fundis, familiis.

Mil. 647:

Minume sputator, screator sum, itidem minume muccidus.

[1] Haec formula precationis diu uiguisse uidetur apud Romanos; cf Nipperdey-Andresen ad Tac. Ann. I. 69. Bx in adn. crit. ad Trin. 821.

Bacch. 732:

Quid si potius morbum, mortem scribat? id erit rectius.

Sic CD, Lachm. ad Lucr. p. 80, Goetz, G.-S., Leo. B, quem secuntur Uss. et Cosh, *morbum et mortem* praebet. Asyndeton seruandum esse censeo, quod apud Plautum uocabula, quae sono haud disparia sunt, saepe dissolute componuntur; accedit, quod formula illa comprecationem uetustam redolet, cf Zander, Uers. Ital. Ant. p. 24. 36.

Epid. 523 (cf Leo ad l.):

Legum atque iurum fictor condictor cluet.

Most. 960:

Scorta duci, pergraecari, fidicinas, tibicinas
Conduci (codd. *Ducere*, corr. Ritschl).

ib. 104 (locus corruptus est, sed exitus uersus restituitur particula negandi *non* uel *hau* addita):

. . . sumptum operam < non > parcunt suam.

Rud. 23:

Iouem se placare posse donis hostiis [1]

Epid. 530:

Paupertas, pauor territat mentem animi.

Mil. 1055:

Exprome benignum ex te ingenium, urbicape, occisor regum.

Eun. 1055 (Preuss p. 79. Woelffl. All. p. 13. 77.):

. . . Perfice hoc
Precibus pretio, ut haeream in parte aliqua tandem apud Thaidem.

Cf Don. ad l. — Phorm. 374:

Bonorum extortor, legum contortor!

Naeu. 93 (cf Woelffl. l. l. p. 74).

Domi patres patriam ut colatis potius quam peregri probra.

Caec. Stat. 152:

. . . nunc credo inter suas Aequalis, cognatas sermonem serit.

Cf Rbk ad l., Hertz ad Gell. N. A. II. 23. — Ablatiui qualitatis componuntur Eun. 314. Acc. Trag. 86, al. ll.

[1] Asmus, De appos. apud Plaut. et Ter. collocatione p. 24, negat uocabula *donis hostiis* ἀσυνδέτως posita esse; sed ueteres et donis muneribusque et hostiis deos placauisse nemo est quin sciat. Cf Afran. 171: . . . deos Suppliciis sumptu uotis donis precibus . . . defatigarem. Ebr. 8. 3 προσφέρειν δῶρά τε καὶ θυσίας.

Particula copulatiua addi solet in his quas iam afferam locutionibus.

Constat Homerum nonnumquam uocabula ἐσθῆτα χρυσόν τε sim. componere, cf α 165, ϑ 440, ο 207; ε 38, ν 136, π 231, ψ 341. Atque etiam apud posteriores scriptores locutiones, qualis est ἱμάτια καὶ χρυσία, haud raro adhibentur ad partem dotis significandam, quam uirgines Atticae accipere solebant, cf Meier-Schoemann, Att. Process p. 515 sq. Exempla Plautina et Terentiana haec sunt (cf Bx ad Men. 801. Lor. ad Mil. 981.), asyndeton: Mil. 1127:

Aurum ornamenta quae illi instruxisti ferat.

H. u. multi uiri docti spurium esse censent.

Haut. 248:

. . . portant quid rerum!:: Ei mihi!
:: Aurum, uestem; et uesperascit, et non nouerunt uiam.

Particula additur: Cist. 487:

Instruxi illi aurum atque uestem . . .

Mil. 1099:

Aurum atque uestem muliebrem omnem habeat sibi

Curc. 348 (cf 435):

. . . ut mulierem a lenone cum auro et ueste abduceret.

Caec. Stat. 104:

. . . ut aurum et uestem, quod matris fuit, Reluat . . .

Haut. 452:

. . . adduxit plus decem Oneratas ueste atque auro . . . Cf Epid 577. Men. 801: auratam et uestitam. *Et . . . et* Curc. 488.

Mil. 1147 (= 981):

Quin etiam aurum atque ornamenta . . . dat dono . . .

Caec. Stat. 115:

Suppilatumst aurum . . . atque ornamenta omnia.

Cf Rbk ad h. l.

Most. 282 aurum et pallam, Men. 803. 1142. 739. De Mil. 1303 (aurum ornamenta uestem) Pseud 182 (uestem aurum atque ea quibus est usus) Curc. 343 sq. Men. 120 sim. u infra.

Amph. 614:

Dauo prognatum patre eodem quo ego sum, forma, aetate item
Qua ego sum.

Ab h. l. si discesseris, poetae scaenici particulis copulatiuis uti solent: Pers. 229:

Temperi hanc uigilare oportet formulam atque aetatulam.

Rud. 894:

Atque ambas forma scitula atque aetatula.

Terentio uidetur locutio illa in deliciis fuisse: Phorm. 1024:

An mea forma atque aetas nunc magis expetendast . . .

Andr. 286:

Mi Pamphile, huius formam atque aetatem uides.

ib. 72. Sed Eun. 375 *et* posuit:

Praeterea forma et aetas ipsast, facile ut pro eunucho probes.

Hec. 75 ordinem inuertit:

. . . quor non aut istaec mihi
Aetas et formast aut tibi haec sententia?

Si uoces *aurum* et *argentum* coniunguntur, *atque* adhiberi solet [1]:

Rud. 546:

Aurum atque argentum ubi omne conpactum fuit.

Cum auro atque argento: Rud. 1295. 1309. 1340.

Asin. 155:

Nec recte quae tu in nos dicis, aurum atque argentum merumst.

Repugnat autem huic usui, quantum uideo, unus locus, Rud. 1188:

Credo edepol ego illic inesse argenti et auri largiter.

Sic B; *auri et argenti* CD.

Etiam h. l. multi homines docti (u. Schoell in adn. crit.) formulam *auri atque argenti* restituere uoluerunt falsa emendandi ratione usi, qua omnes uersus, qui legibus suis obstant, aut artificiose excusant aut contra codd. consensum mutant. Uerisimile est in eo exemplari, ex quo transscripti sunt codd. P, *argenti et auri* scriptum fuisse, quae uerba a librario quodam transposita sunt in archetypo codd. CD, ut ordo sollemnis restitueretur; de *et* non est dubitandum [2].

[1] Sonnenschein in adn. ad Rud. 1188 adscripta per errorem calami, ut uidetur, *aurum et argentum* Plautinum esse docet. *Et aurum et argentum* legimus Rud. 396.

[2] Etiam aliis locis Ueterem ueras lectiones seruasse ubi ceteri codd. uerba poetae uariis modis turbata praebent notissimum est. De transpo-

Truc. 214:

Nam fundi et aedis obligatae sunt ob Amoris praedium.

Eadem compositio exstat in fine uersus Truc. 174. 187, sed u. 177 *atque* legitur:

Mage amat corde atque animo suo, si quidem habes fundum atque aedis.

Capt. 445 (Phorm. 470. Ad. 331.):

Tibi commendo spes opesque meas . . .

Amph. 1053:

Spes atque opes uitae meae iacent . . .

Cf Bx ad Capt. 445. Hauler ad Phorm. 470. Woelfflin A. L. L. I. 387.

Uocabula, quae plane diuersa sunt, uelut nomina rerum, animalium, cibariorum, populorum, terrarum, sim., apud omnes scriptores *et* particula coniungi solent, si omni interiore ratione omissa componuntur. Nonnumquam tamen fit, ut ceteris particulis utantur scriptores siue causa quadam perspicua coacti siue ipsorum arbitrium eligendi secuti.

Quod etiam de poetis scaenicis ualet. Rarissime autem dissolute componuntur talia uocabula, cum asyndeta sermoni cottidiano minus apta sint. Sed in uetustissimo Italorum sermone bimembris dissoluti usum frequentem fuisse cum ex exemplis, quae inscriptiones praebent (cf Altenburg l. l. p. 16), concludere licet, tum ex eis, quae apud Catonem exstant[1].

sitione autem uerborum pauca addam in App., u. infra; cf etiam Stich. 374: Argenti aurique aduexit nimium . . . Hiatum inter uocabula illa remouit Guyetus *que* addito *(Argentique)*; defendit Maurenbrecher l. l. p. 209 sq. Obiter moneo etiam in proximo uersu, Rud. 1189:

Quid meliust quam ut hinc intro abeam et me suspendam clanculum

et scriptum esse pro *ac,* quod in hac formula legitimum esse constat, cf Capt. 636. Poen. 309. 311. Bacch. 903. Pers. 815. Poen. 396. Andr. 255. u. infra.

[1] De asyndeto bim. Catoniano u. Keil in comm. p. 110 sq. Cf Cat. de a. c. 83: Marti Siluano . . . uotum facito. 2. 7: uinum frumentum quod supersit uendat. 35. 1: siliginem triticum in loco aperto celso . . . seri oportet. 51: propagatio pomorum aliarum arborum. 157. 5: sale aceto sparsam. ib. 6: aceto mulso spargito; sim. al. Apud alios scriptores pauca sane uestigia prisci sermonis exstant; cf Uarr. R. R. I. 58 faba legumina . . . perdiu incolumia seruantur, u. Keil ad R. R. II. 4. 3.

Cf Aul. 399:

Congrum, murenam exdorsua quantum potest.

Men. 801:

Quando te auratam et uestitam bene habet, ancillas, penum
Recte praehibet, melius sanam est, mulier, mentem sumere.

Eun. 402 sq., u. infra[1]. Locos, ubi particula copulatiua additur, perscrutatus sum, sed cum nihil fere praebeant memoratu digni, eos qui hunc libellum legent nolo defatigare similitudinis satietate atque huic capiti finem imponam breuiter expositis, quae de nominibus propriis dicenda esse uidentur.

Nomina propria dissolute composita his duobus locis inueni:

Rud. 657 (Daemones ira incensus lorarios euocat ad lenonem uerberandum):

. . . ite istinc foras
Turbalio, Sparax: ubi estis?

Bacch. 649:

Non mihi isti placent Parmenones, Syri,
Qui duas aut tris minas auferunt eris.

Numerus pluralis genus quoddam hominum significat ut apud recentiores scriptores[2].

---

[1] Nihil scilicet offensionis habent loci, ubi adiectiuum uel pronomen utrique membro commune iteratur, uelut Epid 28:

Lictores duo, duo ulmei fasces uirgarum :: Uae tibi. Most. 167. Poen. 923.

Haut 25:

Arbitrium uostrum, uostra existumatio Ualebit. ib. 460.

Persaepe autem additur particula, plerumque *que* (cf Ballas l. l. p. 20):

Cas. 229:

Uxor mea meaque amoenitas, quid tu agis?

Amph. 494 sq. Capt. 30 sq. Cas. 821. Rud. 669. Trin. 703. Truc. 603.

Sed etiam *et* occurrit uelut Poen. 1275:

Quom hac me laetitia adfecistis tanta et tantis gaudiis,

Cas. 762. Cist. 723. Men. 1103. Mil. 998. Poen. 60. Trin. 822.

Atque nonnullis locis inueni, ubi pronomina demonstratiua iterantur, uelut Rud. 294:

Hisce hami atque haec harundines . . . ib. 227. Bacch. 632. Pseud. 595. Andr. 831.

[2] Etiam apud posteriores nomina propria haud raro ἀσυνδέτως componuntur: A. in singulari

1. si quis exempli causa duo tantum nomina profert, cum liceat plura adferre, uelut Cic. Lael. § 28: Quis est, qui C. Fabricii, M'. Curii non cum

Plerumque tamen per *et* particulam copulantur nomina propria (deorum, hominum, locorum); paucis locis *atque* ponitur; rarissime *que* occurrit.

Mil. 1384:

Duo di quem curant:: Qui duo?:: Mars et Uenus.

Amph. 152. Asin. 727. Mil. 1414. Most. 163. Stich. 403. Eun. 732.

Bacch. 835:

Uideo exaduorsum Pistoclerum et Bacchidem.

Rud. 878:

Tu, mea Palaestra et Ampelisca, ibidem ilico Manete . . .

Cf u. 512 paullo infra. Mil. 610. Trin. 436. Stich. 680. 371. Haut. 498. Eun. 25.

Cas. 71;

At ego aio id fieri in Graecia et Carthagini.

Atque his locis inueni:

---

caritate aliqua beneuola memoriam usurpet . . . quis autem est, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit? Cf Seyffert-Müller in comm. p. 203 sq. Quod autem uiri doctissimi negant praenomen abesse posse, errant; cfr Cic. De off. II § 59: Dicebat idem Cotta, Curio.

2. In exemplis quale est C. I. L. I 1175 M. P. Uertuleieis C. f. i. e. "Marcus et Publius Uertuleii C. filii", ubi ad duo nomina adiungitur nomen plurali numero utrique commune. Cf Cic. Brut. § 136 Tum etiam C. L. Memmii fuerunt oratores mediocres; 169 Q. D. Valerii Sorani, 242 Eodem tempore C. L. Caepasii fratres fuerunt. Persaepe autem additur particula: 94 Fuerunt etiam in oratorum numero mediocrium L. et Sp. Mummii fratres; 247; ad Fam. XIII. 40. L. et C. Aurelios L. filios . . . tibi commendo. Sall. Cat. 17; saepe apud Liu.

3. Si duorum consulum nomina componuntur eo consilio, ut is de quo agitur annus appelletur, ubi praenomina adduntur. De hac re uberius disputauit Lahmeyer, "Das Asyndeton der Namen bei Anführung v. Konsulnpaaren", Philol. t. XXII. p. 63 sqq.

4. Sed multa alia exempla exstant neque adhuc, quantum scio, tota res peruestigata est. Saepe uariat structura in sententiis contiguis, cf Cic. de off. III. § 109. De asyndeti usu Taciteo cf Nipp. Andres. ad Ann. XI. 6.

B. in plurali (cf Bacch. 649):

Hor. Sat. I: 7. 7 sq. Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.

Liv. IV: 15: . . . sed tamen Claudios, Cassios consulatibus, decemuiratibus . . . sustulisse animos, quo nefas fuerit. Tac. Ann. XI: 30 Is ueniam in praeteritum petens, quod ei Uettios, Plautios dissimulauisset, nec nunc adulteria obiecturum ait. —

Rud. 512 (cf 1129):

Eheu, Palaestra atque Ampelisca, ubi estis nunc? cf u. 878: *et*. Epid. 626. Most. 775. Poen. 203. Acc. Trag. 266.

Curc. 3:

Quo Uenus Cupidoque imperat, suadetque Amor.

Sic Non. et Seruius (u. Goetz ad l.); codd. *Cupido*, cf Klotz 'Metr'. p. 174.

Hoc quidem loco *que* particula optime illustratur intima societas, quae inter numina illa intercedit. Satis erit de uersibus illis Catullianis mentionem fecisse: 36. 3: Nam sanctae Ueneri Cupidinique Uouit . . . 3. 1 (= 13. 12): Lugete, o Ueneres Cupidinesque. Ne a Ciceronis quidem sermone haec structura abhorret, cf Merten l. l. p. 6. Cf etiam Enn. Ann. 273 M.: Europam Libyamque rapax ubi diuidit unda.

In exemplis quale est Curc. 696:

Obscero, Planesium, et te, Phaedrome, auxilium ut feras.

te pronomen ἀπὸ κοινοῦ positum esse monet Leo, De fig. serm. I: p. 27. Nonnumquam pronomen etiam ante prius nomen propr. additur, Hec. 338:

Quod te, Aesculapi, et te, Salus, ne quid sit huius oro.

Cf Turp. 118:

Te, Apollo sancte, fer opem, teque, omnipotens Neptune, inuoco,
Uosque adeo, uenti!

Leo l. l. affert Bacch. 754:

Mnesiloche et tu, Pistoclere, iam facite in biclinio

Eun. 1086:

. . . At ego pro isto, Phaedria, et tu Chaerea,

Addo Most. 397:

Omnium primum, Philematium, intro abi, et tu, Delphium.

quem locum Bx ad Capt. 1009 non debuit eis adnumerare, ubi *et* ad 'auch' respondet.

Hec. 664:

Uosmet uidete iam, Laches et tu Pamphile[1].

[1] Ad exempla quae Leo ex aliis scriptoribus adfert addere licet obtestationem priscam apud Liu. I: 32 seruatam, cf Zander V. I. A. p. 32. Neque nomina propria solum hoc modo connectuntur, sed etiam alia uocabula: Pers. 789: . . . O bone uir, Salueto: et tu, bona liberta. C. I. L. I: 1098 Homo frugi et tu optuma femina salue, Zander l. l. p. 79.

Num Plautus pro *et tu* etiam *tuque* posuerit incertus sum. Leo quidem Rud. 160 sq., qui locus certa emendatione adhuc eget, hunc in modum temptat:

Sed, o Palaemon, sancte Neptuni comes,
< Tu > que, Hercules, < qui eius > socius esse diceris.

Cf Enn. Trag. 237 Iuppiter tuque adeo summe Sol qui . . .

Eisdem fere legibus Plautus et Terentius tenentur, si pronomen uel substantiuum quoddam cum nom. propr. copulatur:

Most. 910:

Quin ego ipse et Philolaches in publico omnes porticus
Sumus commensi. —

Pseud. 906. Ba. 357. Mil. 579. Rud. 350. 365. Most. 349. al. *Atque:* Bacch. 683. Mil. 175. 769 (ac).

Rud. 624:

Ferte suppetias qui Ueneri Ueneriaeque antistitae;

cf locutiones quales sunt *me meaque, sibi suisque,* sim. — Preller-Robert, "Röm. Mythol"[3] p. 63 haec docent: "Man pflegte deshalb nach jedem Gebete zu einem einzelnen der Götter immer nachträglich alle Götter insgemein anzurufen, wofür der Ausdruck galt *deos confuse* oder *generaliter inuocare,* cf Seru. ad Uerg. Georg. I. 10. 21."

Inuenimus igitur multis locis Plautinis — apud Terentium nulla exempla exstant — formulam quae est *Iuppiter dique omnes* (in hac locutione *que* sollemne est):

Most. 38 sq.:

At te Iuppiter Dique omnes perdant.

Pseud. 836 sq. Amph. 1021 sq. Men. 933. *Te* uocula enclitica inseritur post primum uocabulum Aul. 658: Iuppiter te dique perdant. Capt. 868. Curc. 317. Rud. 1112. Capt. 909 (Diespiter). Iouem deosque Men. 615. 655. 811 sq. Ioui deisque Capt. 922. Iuppiter (Uoc.) . . . dique alii Pers. 755. Cf etiam Cas. 275: Hercules dique istam perdant; Bacch. 892 sqq. enumerantur multa deorum nomina addito *dique omnes.*

De substantiuis, quae uersu seiunguntur, inter se copulandis.

Haud raro fit, ut uocabula eiusdem generis (substantiua, adiectiua, uerba, cet.), quae componuntur, uersus fine diriman-

tur. De hac re optime disputauit Appuhn, Quaest. Plaut. p. 54 sqq. 71 sq. 76 sqq. neque tamen omnia ita absoluit, ut nulla addi aut mutari possint. Itaque aptum uidetur rem denuo tractare et exempla ita disponere, ut substantiua, adiectiua, uerba suo quaeque loco in quaestionem uocem.

Substantiua, quorum alterum ab altero uersu secernitur, apud Plaut. et Ter. aut dissolute componuntur aut particulis *et que atque* copulantur. Particula aut in initio posterioris uersus collocatur aut in exitu prioris.

Iam si exempla Plautina perscrutabimur, inueniemus asyndeta non facile dissecari:

Trin. 1046 sq.:

... nam id genus hominum omnibus
Uniuorsis est aduorsum ...

Aul. 489 sq.:

... quo illae nubent diuites
Dotatae, si istud ius pauperibus ponitur?

Asin. 475 sq.:

... Perii hercle: age inpudice,
Sceleste, non audes mihi scelesto subuenire?

Uidemus autem his locis adiectiua, quae substantiui uice funguntur, ἀσυνδέτως componi. Quod non casu factum esse uidetur. Nam adiectiua haud raro uersu seiunguntur (u. infra); sed substantiua hoc modo composita, nisi me fallit, apud Plautum non exstant. Persaepe autem ita copulantur, ut particula *(que, et)* in initio proximi uersus collocetur:

Aul. 280 sq.:

Postquam obsonauit erus et conduxit coquos
Tibicinasque hasce apud forum ...

Truc. 310 sq. Mil. 411 sq. Amph. 1021 sq. (= Pseud. 836 sq. Most. 38 sq. Men. 811 sq.) Men. 552 sq. Poen. 1217 sq. 477 sq. Epid. 555 sq. Amph. 494 sq., al.

Rud. 1085 sq.:

Nil peto nisi cistulam
Et crepundia.

Trin. 490 sq. Mil. 542 sq. Men. 806 sq. Pers. 459 sq. Pseud. 1091 sq. Curc. 311 sq. Amph. 140 sq. Pers. 501 sq. al.

Atque uidetur raro occurrere; exempla non adnotaui nisi Asin. 585 sq.

Restat ut uideamus, num Plautus particulas copulatiuas in fine prioris uersus collocauerit. *Atque* ferendum non esse ostendit Appuhn l. l. p. 71 neque quidquam habeo quod addam (cf tamen Cas. 723 G.-S.); de *et* paullo uberiusl ibet disputare.

Appuhn l. l. tres locos affert, ubi de coniunctione monosyllaba in fine uersus collocanda possis cogitare, Amph. 549:

Tanto breuior dies ut fiat faciam, ut aeque disparet
Et dies e nocte accedat.

ubi uiri docti uaria temptarunt. Leo quidem in exitu u. 549 plene interpunxit et *Sed* pro *Et* scripsit. Appuhn docet nonnullos *dispar et* scribere uoluisse; addo Palmerum in editione sua . . . *disparem, et Ex die nocti accedat* temptasse improbante Seyfferto "Berl. phil. Woch." X. p. 1593.

Rud. 861 sq. G.-S. sic ediderunt:

Quin arrabonem a me accepisti ob mulierem?
Iam hinc a[bd]u<e>xisti? :: Non auexi :: Cur negas?

A in exitu EM praebet (priora deleta sunt), P: *mulierem est.* Uss. scripsit: . . . mulierem et Eam hinc abduxisti . . .[1] Uidemus igitur his duobus locis *et* in libris non traditum esse. Sed Rud. 1169 sq. ubi A deest, in P legimus (minutiis omissis, u. Leo ad l.) — Palaestria enumerat quid insit in cistella —:

Post sicilicula argenteola et duae conexae maniculae et
Sucula — :: Quin tu i dierecta cum sucula et cum porculis.
:: Et bulla aureast, pater quam dedit mihi natali die.

H. l. Appuhn *et* in alterum uersum transposuit; sed Priscianus (III. 108. 1 H.), qui u. 1170 laudat, *Et* non habet; praeterea metrum transpositione illa pessum datur. Codd. scripturam retinuerunt non solum Uss., sed etiam G.-S., etsi particulam minime recte se habere arbitrantur (u. praef. ed. min. p. XIV), et Leo, qui in adn. ad Mil. 1132 adscripta *et* defendit, quod in enumeratione positum sit. Seyffert Ann. Burs. l. l. contendit *et* prorsus superuacaneum esse, sed cur ita sentiat, rationem non reddit.

[1] *est* e *set* uel *at* ortum esse potest, cf Seyffert Ann. Burs. t. LXXX: p. 287. De *abduxisti,* quod Appuhn defendit, u. praef. ed min. p. XIII. Baier l. l. p. 150.

Equidem minime nescius sum difficillimum esse rem a uiris illis tractatam denuo examinare. Sed idem existimo *et* in fine uersus positum a Plautino sermone abhorrere uel saltem superuacaneum esse. Nam si Plautus polysyndeta in uersibus contiguis collocat, particulam solet inter cetera polysyndeti membra inserere, in exitu uersus omittere. Cuius structurae nonnulla exempla afferam. Pers. 673 sq.:

Edepol dedisti, uirgo, operam adlaudabilem,
Probam et sapientem et sobriam . . .

Trin. 725 sq.:

. . . quom extemplo arcum et pharetram et sagittas sumpsero,
Cassidem in caput, — dormibo . . .

Cf Trin. 719 sq.

Nisi uti sarcinam constringam et clipeum ad dorsum accommodem,
Fulmentas iubeam suppingi soccis.

Ac ne quis in structura haereat, qua duo substantiua particula copulatiua coniunguntur, tertium ἀσυνδέτως additur, moneo etiam huiusmodi exempla inueniri: Capt. 911. Rud. 930. Most. 730; u. infra. Per uersus exitum remouentur Stich. 693 sq.:

. . . quibus diuitiae domi sunt, scaphio et cantharis,
Batiochis bibunt: at nos . . .

Sic AP. Sed ne hunc quidem locum uiri docti destiterunt lacessere (scaphiis: Goetz Uss. Leo).

Sed haec hactenus. Mihi quidem re diligenter considerata non iusto audacius esse uidetur *et* remouere. Quod si retinendum est, fortasse inde explicari potest, quod Plautus libertate sua structurae uariandae usus in hac fabula, quam senex scripsisse uidetur (cf Teuffel, Mus. Rhen. t. VIII: p. 37, u. etiam Maurenbrecher, "Hiatus u. Verschleif." p. 145 sq.), leges normasque, quibus antea adstrictus erat, abiecerit. Cf ea quae de aliis poetis infra disputabo. Ad tria exx. ab Appulmio adlata addere licet:

Pseud. 1011 sq.:

Qui epistulam istam fert: ab eo argentum accipi,
Cum eo simitu mulierem mitti uolo.

AT: *accipe* BCD: *accipiet*. Fortasse in archetypo scriptum erat ACCIPEI [1].

[1] An licet in codicum AT scriptura perstare? Eodem fere modo se

Eiusdem discrepantiae exemplum inuenimus Epid. 484 sq.:

... stulte datum Reor, peccatum largiter, P: *reor et.*

Ut in fine uersus positum exhibent codd. P (A deest) Mil. 465, ubi metro et sensu respuitur; pertinet ad u. 466.

Ex fabulis Terentianis haec exempla adnotaui: Asyndeton, Eun. 402 sq., ubi Thraso, miles ille gloriosus, et Gnatho parasitus de uirtutibus militis sic inter se collocuntur:

Quod in te est. Th. Habes. Gn. Rex te ergo in oculis Th. Scilicet.
Gn. Gestare. Th. Uero: credere omnem exercitum,
Consilia. Gn. Mirum. Th. ...

D^2 E *exercitum et.* Cf Donat. Uaniloquentiam militis uix melius potuit poeta exprimere quam sententiis illis breuibus [1].

Particula copulatiua in initio proximi uersus legitur Andr. 923 sq. Eun. 517 sq. Hec. 396 sq. Ad. 229 sq. 390 sq. 836 sq. al. ll.

---

excipiunt inuerso ordine imperatiuus et infinitiuus a *uolo* pendens in epistula Pers. 510 sq.: Operam atque hospitium ego isti praehiberi uolo Qui tibi tabellas adfert: cura quae is uolet. Cf u. 523 sqq.

Aut in fine uersus A praebet Mil. 1132:

Nunc ad me ut ueniat usust Acroteleutium AUT
Ancillula eius aut (AP) Pleusicles ...

quod Leo retinuit. Ceteri edd. *aut* u. 1132 omittunt et posterius *aut* in *ac* mutant. De h. l. nihil pro certo adfirmare audeo.

Illud uero non est silentio praetereundum, quod Abraham Stud. Plaut. p. 224 *ut* in fine uersus addidit Epid. 315:

... mane me iussit senex
Conducere aliquam fidicinam sibi huc domum, <ut>,
Dum rem diuinam faceret, cantaret sibi.

adprobante Uss. ad l. Quod autem uir doctissimus Amph. 214 in comparationem uocauit, qui uersus hunc exitum habet: ... *proinde uti,* insignite errauit, quoniam coniunctionis bisyllabae longe alia ratio est; cf Trin. 120 ... non uti, Rud. 499 ... dum uiuas, uti; Mil. 768 ... atque uti. Neque necesse est mea quidem sententia < *Ut* > uel < *Quae* > in initio proximi uersus addere, quod G.-S. et Buech. (Mus. Rhen. t. XXXV: p. 628 sq.) fecerunt inuito correctore B^2 (dinam B. ui B^2 add. sup. uers.). Quid multa? Iunctura sententiarum facillime explicatur breuiloquentia quadam sermonis Plautini propria, qua fit, ut sententiae non satis arte coniungantur ('gubben befallde mig skaffa ... hon skulle ...') Cf Poen. 1100, u. infra.

[1] Tota illa scaena, quae a u. 391 incipit, in moribus militis gloriosi describendis uersatur; fluxit autem e Colace Menandri. Cf Lor. Mil. glor. p. 239. Fabia p. 43.

De particulis copulatiuis apud Terentium in exitu uersus positis uiri docti diu et multum disputarunt. Ac primum quidem moneo, *et, atque, aut* in libris manu scriptis tam multis locis tradita esse uix ut de interpolatoris opera cogitare liceat. Umpfenb. particulas plerumque seruauit; Fleck. et Dz. ad unam omnes sustulerunt Conradtio adsentiente, qui Herm. t. X p. 108 rem uberius tractauit. Wagner ad Eun. 926 haec habet: "*et* at the end of 926 has been justly omitted by former editors, as a copula in this place would be against the constant habit of comic prosody". Cf etiam adn. ad Andr. 560. Conradtium secuntur etiam Spengel et Hauler, u. ad Phorm. 57. Klotz "Altröm. Metr." p. 191 particulas monosyllabas *et aut* defendendas esse censet; de *atque* dubitat. Appuhn l. l. p. 79 coniunctiones seruari posse docet, quod semper ante uoculam illam, quae est in fine uersus, elisio fit et particula illa quasi inter uersus ponitur.

Ad rem de qua ambigitur diiudicandam necesse est a Terentii sermone loquendi proficisci ita ut quaeramus, num structurae, quae particulis delendis constituuntur, ab usu Terentiano abhorreant.

Conradt ipse l. l. hanc emendandi uiam demonstrat his uerbis: "Der Schwerpunkt der Entscheidung liegt aber darin, dass Asyndeta, wie sie durch Streichung des *et, atque* etc. meist entstehen, sowohl gewöhnlich bei Terenz sind, als auch sonst von den Handschriften durch Einschaltung von Bindepartikeln beseitigt sind ..." Utinam ne totam de asyndeto quaestionem intactam reliquisset! Nam si locos, ubi Ter. substantiua dissolute composuit, percurremus, Terentium inueniemus asyndeto non uti solere nisi in locutionibus sollemnibus quales sunt iusta iniusta Ad. 990, manibus pedibus Andr. 676, bona mala Phorm. 556, dictum factum Haut. 904, ancillas seruos Haut. 142, forte fortuna Eun. 134. 568. cf Hec. 386. Phorm. 841. precibus pretio Eun. 1055, sim.;

uel ubi asyndeton cum orationis genere uniuerso et colore conuenit, uelut locus tempus Eun. 541, lege iudicio Phorm. 214, misericordia, animus maternus Haut. 637, omnem exercitum Consilia Eun. 402 sq., u. supra; aurum uestem Haut. 248. sim.

Sed si oratio leniter profluit, coniunctio non omittitur. Quae cum ita sint, ne minima quidem dubitatio restat, quin particulae copulatiuae seruari possint aut debeant his locis: Andr. 560: (*et* A et Call.)

> Uxorem demus. spero consuetudine et
> Coniugio liberali deuinctum, Chremes,
> Dein facile ex illis sese emersurum malis.

Eun. 873 sq.:

> . . . saepe ex huius modi re quapiam et
> Malo principio magna familiaritas
> Conflatast.

Codd. γ D[1] F *et* in alterius u. initio habent. H. l. etiam Umpf. particulam deleuit. *Malo principio* edd. pro abl. abs. habent, u. Dz. in adn. crit., Fabia et Wagner ad l. Cf Hauler ad Phorm. 791. Sed nihil est cur in particula illa offendamus.

Ad. 465 sq.:

> Quid istuc est?:: Nostrum amicum noras Simulum atque
> Aequalem?:: Quid ni?::

atque in G deest; in A sequenti uersui praefixit corr. rec. A, cuius lectiones haudquaquam spernendas esse constat, u. Haul. Phorm. p. 185. Per *atque* particulam, quam Umpf. uncis quadratis inclusit, omiserunt Dz. Wagn. Speng., uocabula illa coniunguntur Trin. 48. 326. Haut. 417. (Eun. 327) Afran. 256. Asyndeton non inueni.

Iam quaestionis, quae nimis diu nos tenuit, fructus colligamus. Apud Plautum particulae *et atque aut (ut)* in fine uersus positae nusquam omnium codicum consensu nituntur neque sermo Plautinus uoculas illas desiderat. In libris Terentianis particulae illae saepe traduntur neque deleri possunt nisi ab eis, qui Terentii dicendi generi uim adferre non dubitent.

Alia exempla, quibus haec regula comprobatur, suo loco infra adferam.

II. Adiectiua.

Quicumque fabulas Plautinas et Terentianas perlegit, non potest non animaduertere, positiuos persaepe componi uel addita coniunctione uel omissa, comparatiuos et superlatiuos perraro coniungi. Quae cum ita sint, aptum uidetur primum de

positiuis disputare, tum comparatiuos et superlatiuos in quaestionem uocare.

Positiui.

Primum igitur, seruato ordine, quo ante usi sumus,

1. De adiectiuis contrariae significationis

pauca dicenda sunt.

Asyndeton non inueni (excepto Phorm. 687, u. p. 8), nisi ubi adiectiua substantiue ponuntur (u. p. 2), neque huius asyndeti usus omnino frequens fuisse uidetur apud Romanos. Cf tamen u. gr. cantionem illam, quam Uarro L. L. VI. § 21 seruauit (cf Fest. p. 88 Th.): Uetus nouom uinum bibo ueteri nouo morbo medeor. (Sic Zander, U. I. A. p. 45).

Que particula arte connectuntur adiectiua addito *omnibus* Pseud. 771 sq.:

. . . ubi ego omnibus
Paruis magnisque miseriis praefulcior. Cf Enn. Ann. 299 M.

Et legimus Curc. 552:

Quis res publica et priuata geritur, nonne is crederem?

Trin. 38. — Cist. 199:

Seruate uostros socios, ueteres et nouos.

Atque Hec. 380 magni atque humiles, 769 satura atque ebria.

2. Adiectiua idem fere uel simile aliquid significantia.

A. Asyndeton.

Adiectiua, quae notionum cognatione inter se sunt coniuncta, apud Plautum haud raro dissolute componuntur. si attributi uice fungentia ad substantiuum quoddam referuntur: saepius post substantiuum, ad quod pertinent, quam ante collocantur. Cf Bx et Lor. ad Mil. 663. Adiectiuorum, quae praedicatiue ponuntur, pauca exempla exstant apud Plautum: quae ex fabulis Terentianis adnotaui, colore quodam rhetorico praedita sunt[1].

[1] Etiam in hac re magna est similitudo inter Terentium et aureae, quae uocatur, aetatis scriptores; hi enim non solent adiectiua sine particula copulatiua componere nisi ubi alterum adiectiuum cum substantiuo tam arte cohaeret, ut una notio efficiatur, (cf Andr. 6 sq. maliuoli Ueteris poetae) uel ubi id agunt, ut gradatio quaedam appareat.

Ac primum quidem locutiones quasdam sollemnes adferre liceat:

Pseud. 988 sq.:

... Oh, Polymachaeroplagides Purus putus est ipsus: noui.

ib. 1200:

Purus putus hic sucophantast.

De hac formula u. Gell. N. A. VII. 5. Woelffl. Allitt. p. 13 sq. 79. Preuss p. 112 sq.

Curc. 5:

Si status condictus cum hoste intercedit dies.

Cf Cinc. apud Gell. XVI. 4. 4 nisi ... sit ... status condictusue dies cum hoste, Preuss p. 110.

Trin. 821:

Laetus lubens laudes ago et grates ...

Preuss p. 113 sq. Woelffl. l. l. p. 63. Süss, Act. Sem. Erl. I. p. 33.

Curc. 89:

Potate, fite mihi uolentes propitiae [1].

Trin. 317 (Preuss p. 107):

Sarta tecta tua praecepta usque habui mea modestia.

Iam ad ea exempla transeamus, quae Plautini sermonis propria esse uidentur:

Asin. 223:

Osculando, oratione uinnula, uenustula.

Capt. 717:

Recens captum hominem, nuperum, nouicium

ubi codd. et Prisc. III. 96. 3 H. *et* praebent. Asyndeton seruauit Non., u. Schoell ad l.

Mil. 663:

Opusne erit tibi aduocato tristi, iracundo? ecce me [2].

---

[1] Ad exempla formulae illius sollemnis, quae adfert Preuss p. 102, multa addi possunt ex inscriptonibus sumpta, uelut Act. lud. saec. 96: uti sitis uolentes propitiae, 99, 144; (de insigni similitudine, quae intercedit inter formulas Catonianas c. 139. 141, u. Preuss l. l., et eas, quae in Act. lud. saec. exstant, u. Mommsen, Ephem. Epigr. VIII p. 265 sq.). C. I. L. XII: 4333 (in dedicatione Augusti numini facta) ... uti sies uolens propitium.

[2] *Tristem esse alicui* idem fere esse atque *iratum esse* ostendit Gimm l. l. p. 31 adlatis his locis: Cas. 282:

Stultitiast ei te esse tristem quoius potestas plus potest.

Capt. 406:

Neque med umquam deseruisse te neque factis neque fide
Rebus in dubiis, egenis. Cf Poen. 130.

Most. 730:

Uino et uictu, piscatu probo electili
Vitam * colitis.

Nihil sane profecerunt homines docti in hoc loco emendando. Primum igitur de *et* particulae usu moneo, si tria uocabula enumerantur, apud Plautum nonnumquam priora membra coniunctione copulari, praesertim si artius cohaerent, cf nostrum: "mat och dryck", u. p. 32. Itaque Bothe non debuit *et* delere. Sed restat in loco nostro alia offensio, quod duo cretici longa arsi praediti in eodem hemistichio positi sunt. Quod incommodum ut effugeret, Spengel "Reformvorschläge" p. 40 Gulielmio duce uerba tradita transposuit:

Uino et uictu probo, piscatu electili

probantibus Lorenzio, Leone, aliis. U. tamen quae contra Spengelium disputat Seyffert, Ann. Burs. t. XXXI p. 43, cf t. LXXX p. 280 sq. Ne alteram quidem rationem, quam adfert Spengel l. l. his uerbis: "auffallend ist, dass *piscatu* ein doppeltes Adiectiv hat, *uictu* dagegen, das eines solchen weit mehr bedarf, keines", quidquam ualere ex eis quae supra disputaui apparet [1].

Men. 591:

Deixei causam: condiciones tetuli tortas, comfragosas.

ib. 863:

Nunc equos iunctos iubes
Capere me indomitos, ferocis, atque in currum inscendere.

Trin. 751:

. . . adulescenti thensaurum indicem
Indomito, pleno amoris ac lasciuiae?

Asin. 842. Cas. 230. Men. 607 sq., ubi Brixium non recte adnotasse: "*mihi* ethischer Dativ, nicht von *tristis* abhängig", docet adprobante Seyfferto Ann. Burs. t. LXXX: p. 290 sq. Addo Afran. 120 (apud Non.): Iactabit sese. — Iactet. — Mihi erit tristior. Cf Non. 410: 1: tristis, iratus.

[1] Uss. post *Uino et uictu,* quod cum priori uersu (. . . agitis aetatem . . .) iungit, plenius interpungit(;) ad *piscatu* proximum uersum referens.

Poen. 28:

Nutrices pueros infantis minutulos Domi procurent . . .

Infans apud Plaut. nondum substantiui uim habere monet Rassow, Suppl. Ann. Phil. t. XII: p. 593.

Epid. 153:

Noui ego te:: Est Euboicus miles, locuples, multo auro potens.

Trin. 171:

Gregem uniuorsum uoluit totum auortere.

Cf Trin. 1046 sq. . . . omnibus Uniuorsis, u. supra p. 30; frgm. fab. inc. 3, Most. 147, u. infra. — Genitiuus qual. alterius adiectiui uices sustinet Men. 269:

Ego autem homo iracundus, animi perditi.

Pro altero adiectiuo ponitur substantiuum cum praepositione coniunctum Bacch. 974:

Quadringentos filios habet atque equidem omnis lectos sine probro

i. e. probos, cf Pers. 438. 526. Additur *et* Aul. 337 stultus et sine gratia's [1].

Medium quendam locum inter ea exempla, ubi adiectiua substantiuum secuntur, et ea, ubi anteposita sunt, tenet

Bacch. 612:

Petulans, propteruo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo et modestia sum . . .

Adiectiua ante subst. collocata sunt his ll.:

Capt. 671:

Tuis scelestis falsidicis fallaciis.

Men. 973:

Recordetur id, qui nili sunt, quid is preti
Detur ab suis eris, — ignauis improbis uiris.

Cf Bx ad l., Langen, Stud. Plaut. p. 47.

Fragm. fab. inc. 3:

Gannit odiosus omni totae familiae [2].

[1] Etiam apud alios scriptores adiectiua cum abl. uel gen. qual. nonnumquam componuntur, cf Cic. de Or. I. 22. 104; Nep. Iph. 3. 2 Suet. Uesp. 4. Tac. Ann. IV. 31. De subst. cum praep. coniunct. u. Nägelsbach, 'Stilist.' p. 578. Heine ad Cic. de off. I. 8. 25. Goethe ad De nat. deor. I. 12. 30. Heraeus ad Tac. Hist. I. 9. III. 8. Friedlaender ad Iuu. Sat. VII. 207.

[2] Cf Trin. 171, u. supra. — Lindsay, "Harv. Stud." IX. p. 130 ad si-

De eis locis, ubi substantiua inter adiectiua interponuntur (Pers. 707 sq. Trin. 297 sq. Rud. 282) u. infra.

Adiectiua praedicatiue posita sunt Bacch. 784:

... ego sum malus, Ego sum sacer, scelestus ...[1]

Capt. 641:

Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum miser.

ib. 596:

Fui ego bellus, lepidus: bonus uir numquam neque frugi bonae

Most. 147:

... non uideor mihi
Sarcire posse aedes meas, quin totae perpetuae ruant.

Most. 904, u. supra; Merc. 655, u. Leo ad l.

Ex fabulis Terentianis haec adnotaui: Andr. 828 sq.:

... perpulisti me ut homini adulescentulo
In alio occupato amore, abhorrenti ab re uxoria,
Filiam ut darem ...

ib. 855:

Nescio qui senex modo uenit, ellum, confidens, catus.

Hec. 165:

Haec, ita uti liberali esse ingenio decet,
Pudens modesta, incommoda atque iniurias ... ferre.

Ad. 864:

Ille suam egit semper uitam in otio, in conuiuiis,
Clemens, placidus, nulli laedere os, adridere omnibus.

Haut. 226:

Habet bene et pudice eductam, ignaram artis meretriciae.

Sic codd. Call. omnesque fere editores. Bembini scripturam ... *edúctam et ignáram* ideo euitasse uidentur, quod in correptione primae syllabae uocis, quae est *ignaram*, offenderent, cf Skutsch, "Jambenkürz. u. Syniz." p. 5.[3]

Andr. 304:

Ita, postquam adempta spes est, lassus cura confectus stupet.

militudinem huius loci correxit Most. 904, qui uersus iusto breuior traditus est:

Quid tibi uisumst mercimoni? : : <Omnis> totus gaudeo.

[1] *Sacer* et *scelestus* idem fere ualent, u. Uss. et Cosh ad h. l.

Asyndeton Ribbeck recte restituisse uidetur Enn. Trag 203:

... quae nunc abs te uiduae [et] uastae uirgines sunt,

cf coroll. p. XXIX.

Afran. 66:

O diem scelerosum, indignum!

B. Particula copulatiua additur.

De adiectiuis idem fere ualet atque de substantiuis, u. supra; itaque eos solum locos adferam, ubi locutiones sollemnes occurrunt.

Uelut *antiquos* et *uetus* in clausula per *et* copulantur (u. Gimm, De adi. Plaut. p. 13) Bacch. 711:

Recta porta inuadam extemplo in oppidum antiquom et uetus;

Most. 476. Sed si inuerso ordine se excipiunt adiectiua illa, *atque* adhibetur: Pers. 53:

Ueterem atque antiquom quaestum maiorum meum.

Amph. 118. Mil. 751. Trin. 381. *que* uno loco legitur, Poen. 978:

Seruos quidem edepol ueteres antiquosque habet.

Sanus et *saluos* saepe componuntur (Gimm. l. l. p. 30. Woelffl. All. p. 80):

Amph. 730:

Equidem ecastor sana et salua sum ...

Merc. 889. Pseud. 1068. — Merc. 174:

Quid alia armamenta? :: Salua et sana sunt :: ...

Epid. 563. Cf Merc. 679 salutem et sanitatem.

Aul. 677. Trin. 1076 in clausula legitur:

... Di me saluom et seruatum uolunt.

Cf etiam Rud. 631:

Eamque euenturam exagogam Capuam saluam et sospitem,

Capt. 873. — Asin. 17:

Superesse uitae sospitem et superstitem.

Pers. 130:

Quia forma lepida et liberalist ...

Epid. 43. Mil. 967. Woelffl. All. p. 64[1].

---

[1] Terentius alia formula utitur: Andr. 122 sq. forma ... honesta ac liberali; Eun. 682 honesta facie et liberali.

Truc. 703: (Gimm. l. l. p. 5)

Mea dona deamata acceptaque habita esse apud Phronesium.

Stich. 50:

Nam pol mihi grata acceptaque huiust benignitas.

Truc. 583:

Grata acceptaque ecastor habeo . . .

B *grata acaque* CD *grataque*. Corr. Camerarius (cf etiam Bugge Ann. phil. t. CVII: p. 413) adprobante Lindsayo "Introduction", p. 103. "Am. Journ. of Phil." XVII: 441. Alii alia temptarunt. Cf paullo infra u. 617:

. . . quorum Mihi dona accepta et grata habeo . . .;

u. 705:

Militis odiosa ingrataque habita: totus gaudeo.

Asin. 136 (cf Amph. 184):

Ingrata atque inrita esse omnia intellego.

Cas. 119:

Postilla ut semper improbus nilique sis, cf Truc. 333.

Asin. 305 malus nequamque, Pseud. 1103 malus et nequam.

Men. 1004:

O facinus indignum et malum.

Most. 459:

Dici quam indignum facinus fecisti et malum.

Sed longum est omnes locos hic adscribere. Id solum moneo *et atque* particulas in frequentiore usu esse quam *que*.

3. Adiectiua inter se diuersa

componuntur particula copulatiua omissa:

Men. 290:

. . . quibus hic pretieis porci ueneunt Sacres sinceri?

Cf testimonia Festi et Uarronis a Schoellio adlata. Keller Gramm. Aufs. p. 54. Sed *porci sacres* arte cohaerere apparet ex Rud. 1208: Sunt domi agni et porci sacres, u. Sonn. ad l.

Capt. 862:

(iube . . .) Atque < una > agnum afferri proprium, pinguem . . .[1]

Proprium olim suspectum uindicari Actis lud. saec. monent G.-S. praef. p. VIII. Legimus enim u. 103 (cf Ephem. Epigr. VIII: p. 261): . . . in Capitolio bouem marem Ioui optimo

[1] *una* add. G.-S. praef. p. VIII.

maximo proprium immolauit imp. Caesar Augustus . . . u. 137: uti tibi sue plena propria sacrum fiat. Cf etiam precationem apud Gell. XIII: 23. 13 relatam: . . . obsecro . . . te uti liceat nuptiis propriis et prosperis uti.

Asin. 255:

Atque ad ingenium uetus uorsutum te recipis tuom.

Merc. 291:

Senex uetus, decrepitus.

u. 314:

. . . uetulus decrepitus senex. A: *plane decrepitus*, u. Baier l. l. p. 45.

Epid. 666:

Satine illic homo ludibrio nos uetulos decrepitos duos Habet?

Asin. 340:

. . . tu nempe eos asinos praedicas
Uetulos, claudos, quibus subtritae . . . iam erant ungulae?

Pers. 438:

Nummi sexcenti hic erunt Probi, numerati.

Cf u. 526:

Probum et numeratum argentum ut accipiat face.

Aul. 226 sq.:

Uenit hoc mi, Megadore, in mentem, ted esse hominem diuitem,
Factiosum, me item esse . . .

Cf Trin. 490 sq. deos decent opulentiae Et factiones; 467. 497: factionis atque opes; Titin. 108; cf Cist. 493 sq.

Poen. 275:

Di immortales omnipotentes, quid est apud uos pulcrius?

Stich. 377:

. . . aduexit . . . Lectos eburatos, auratos.

Pseud. 697 sq.:

. . . imperauit, ut aliquem hominem strenuom,
Beneuolentem adducerem ad se.

Rud. 1158 sq.

Post altrinsecust securicula ancipes, itidem aurea,
Litterata: ibi . . .

Cas. 550 codices sic exhibent:

Propter operam illius irqui improbi edentuli

hiatu inter adiectiua admisso, quem defendit Klotz "Altröm.

Metr.“ p. 107, cf Maurenbrecher “Hiatus u. Verschl.“ p. 209. De uariis emendandi rationibus u. Schoell in adn. crit.

Truc. 435:

non amantis mulieris
Sed sociae unanimantis fidentis fuit Officium facere . . .

De hiatu cf Leo “Forsch.“ p. 315. Maurenbrecher l. l. p. 176. Quem ut tollerent simulque sententiam meliorem redderent, G.-S. praef. p. XI uerba tradita transposuerunt hunc in modum:

non amantis mulieris
Sed unanimantis, sociae fidentis fuit[1].

Capt. 99:

. . . occepit quaestum . . . Inhonestum, maxime alienum ingenio suo.

Sic B; ceteri codd. *et maxime.*

Epid. 494 adi. et gen. qual. componuntur, u. supra:

Qui me emunxisti mucidum minumi preti.

cf u. 410 seruom graphicum et quantiuis preti. Men. 489.

Epid. 256:

Reperiamus aliquid calidi conducibilis consili.

De *calidi* adiectiui significatione u. Lor. ad Most. 665.

Asin. 565:

. . . aduorsus octo Artutos audacis uiros, ualentis uirgatores.

Codd. *astutos;* corr. Fleck.

Curc. 472:

Ditis damnosos maritos sub basilica quaerito.

Asin. 33:

Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,

cf Most. 356:

Ubi sunt isti plagipatidae ferritribaces uiri

Capt. 722:

Ubi ponderosas crassas capiat compedes.

Pseud. 580:

Duplicis triplicis dolos perfidias, ut . . .

De gradatione cf Lor. ad l. — u. 1149:

Accipe: hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae.

[1] C. F. W. Mueller, Herm. t. XXXIV. (a. 1899) p. 320 proposuit: Sed soci <enn> ae unanimantis fidentis fuit.

Merc. 314, u. supra. — Stich. 304:

Exaugeam atque illam augeam insperato opportuno bono.

P: *ex insperato.* Uss. quidem in adn. ad h. u. *insperato* pro aduerbio habet coll. Lucil. XXX: 38 M. Insperato abiit . . . Sed ad usum Plautinum probandum loci illius Luciliani uim aut auctoritatem nullam esse uix est quod moneam. Aduerbium illud in fabb. Plaut. et Ter. non occurrit, sed Auctor Arg. Aul. I: 14 scripsit:

Quom perdidisset aulam, insperato inuenit.

Cf Arg. Andr. 11:

Mox filiam Glycerium insperato adgnitam

U. Spengel ad h. l., Opitz, De argum. metr. lat. arte et origine p. 222.

Sed adiectiua, quae sunt *speratus* et *insperatus,* inueni his locis: Amph. 676 uxorem . . . speratam, Merc. 843. Eun. 605 occasionem . . . tam insperatam, Haut. 414 tam insperatum gaudium: uocatiuus substantiue ponitur Men. 1132, Poen. 1259, al. ll.

Curc. 114:

Uini pollens, lepidus Liber.

Cas. 239:

Eho tu, nili, cana culex.

Andr. 224:

. . . ibi tum hanc eiectam Chrysidis
Patrem recepisse orbam, paruam. fabulae!

ib. 910 sq.:

. . . tunc hic homines adulescentulos
Inperitos rerum, eductos libere, in fraudem inlicis.

Enn. Trag. 242:

Asta atque Athenas anticum, opulentum oppidum Contempla.

De adiectiuis copulatis nihil habeo quod dicam; id solum moneo, numerum pluralem adiectiui, quod est *multus,* cum aliis adiectiuis componi his ll.: Capt. 159:

Multis et multigeneribus opus est tibi Militibus.

Pseud. 372:

Uerum quamquam multa malaque dicta dixistis mihi

Cf mala multa ingerere Bacch. 875. Pseud. 359. Andr. 640. Acc. Trag. 36 . . . magnis compotem et multis malis. Cf Bacch. 628. Phorm. 611.

Comparatiui

ἀσυνδέτως componuntur Haut. 645, siquidem hic locus recte traditus est:

. . . nunc hoc te obsecro,
Quanto tuos est animus natu grauior, ignoscentior,
Ut meae stultitiae in iustitia tua sit aliquid praesidi.

Wagner traditam scripturam retinuit uerba poetae hunc in modum enarrans: "we have here, it seems, a σύγχυσις of the 2 ideas: 1. tu es natu grandior; 2. animus tuus propter aetatem est ignoscentior". Umpf. uersui crucem adfixit: ceteri uiri docti uaria temptarunt.

Particula additur Epid. 10. Phorm. 228. Haut. 957. Hec. 848. al. ll.

Superlatiui.

Leo "Forsch." p. 238 negat fieri posse, ut superlatiui ἀσυνδέτως componantur: "zwei Superlative werden durch *et* oder *atque* verbunden". Ad rem diiudicandam necesse erit memoria tenere, adiectiua omnino saepius particulis copulatiuis coniungi quam dissolute componi et superlatiuos paucis admodum locis inueniri. Quae cum ita sint, cauendum est, ne Plauto asyndeti usum temere abiudicemus. Legimus enim Men. 759:

. . . ut aetas malast, mers mala ergost.
Nam res plurumas pessumas, quom aduenit, adfert.

Cf Men. 590:

Apud aediles pro eius factis plurumisque pessumisque
Deixei causam.

Asin. 282:

Maxumas opimitatis gaudio effertissumas
Suis eris ille una mecum pariet . . .

Cf Capt. 769, u. infra p. 48. Apud Plautum alia exempla, quae quidem certa sint, nulla inueni [1]; nam Men. 572, qui locus sic traditur in libris:

. . . atque uti, quique sunt
Optumi maxumi morem habent hunc

[1] Ne quis de asyndeti usu dubitet moneo ne Ciceronem quidem huiusmodi asyndeta spernere. Uelut cf Epist. ad Fam. XIII. 28. 3: . . . te ea, quae . . ., ita bene conlocaturum, ut ipse iudices homini te gratissimo iucundissimo benigne fecisse. Mendelssohn ad h. l. adnotat: "in asyndeto olim offensum".

Lomani mutationem lenissimam *maxume,* quam Langen defendit Philol. t. XXXIII p. 711, haud scio an recte receperint edd.: cf Bx in adn. crit. Codicum scripturam retinuit Spengel "Reformvorschl." p. 374. 247. Fuerunt qui particulam delerent Pseud. 805:

Nemo illum quaerit qui optumus et carissumust

cum sibi persuasissent, h. u. numeris laborare (Lor., Goetz, alii). Leo quidem l. l. *et* seruauit elisionem ante uoculam illam (optum*us* et) fieri contendens. Neque tamen opus esse uidetur ad illam explicandi rationem confugere; possumus enim uersum scandere hunc in modum:

Nemo íllum quaérit qui óptŭmŭ́s ĕt caríssumúst

ita ut iambus, qui constat ex ultima syllaba uerbi, quod est *optumus,* et uocula *et,* nota lege corripiatur[1].

Ad legem suam firmandam Leo nonnulla exempla adfert, sed omnia non eandem uim habent. Uelut *optumum atque aequissimum* formula sollemnis est, u. supra p. 16. Neque particula facile omitti potuit Stich. 184, ubi adiectiua uerbis interpositis dirimuntur:

Atque optuma hercle meo animo et scitissuma,

Rud. 1321, u. infra p. 48. Addo haec duo exempla: Rud. 757:

Optumum esse operi faciundo corium et sincerissumum.

Curc. 20:

Bellissumum hercle uidi et taciturnissumum.

Praeterea Leo adfert Capt. 235:

Ex bonis pessumi et fraudulentissumi Fiunt.

Stich. 164:

Uerum hercle multo maxumam et grauissumam.

Boeot. 5 (frgm. 25):

Multo omnium istorum optumum et uerissumum.

Cf etiam Men. 488. Truc. 79. Men. 148 sq. Turp. 25.

---

[1] Nam anapaestum: *optŭmŭs ét* illicitum esse uix est quod moneam; cf Leo "Forsch." p. 236. — Maurenbrecher "Hiatus u. Verschl." p. 26 sqq. euincere conatur anapaestos illos nihil esse cur damnemus. — Constat autem illo uersus loco talem ictuum dispositionem, qualem supra significaui, saepissime occurrere, u. Bx ad Mil. 27. Sed restat in loco nostro alia offensio, siquidem recte docet Seyffert, Ann. Burs. t. LXXX p. 263, correptionem illam in uersibus iambicis non occurrere nisi in primo uersus pede, (Curc. 245 aufer ĭstaec, Mil. 1388 Ipsus ĭllic, sim.).

Eun. 926 sq.: (u. infra p. 51.)

Nam ut mittam quod ei amorem difficillumum et
Carissumum, a meretrice auara uirginem
Quam amabat, eam confeci sine molestia.

Apud Ter. hoc unum ex. inueni.

Addenda:

1. De diuersis gradibus inter se componendis.

In omnibus quae adhuc adlata sunt exemplis aut positiui aut comparatiui aut superlatiui coniunguntur. Iam paucos locos adferam, ubi diuersi gradus componuntur uel addita particula copulatiua uel omissa.

Ott, Ann. Phil. t. CXI p. 787 (cf etiam Woelfflin, "Lat. u. Rom. Komp." p. 57 sqq., Schmalz, Stilist.[3] p. 440) monuit superlatiuos, quales sunt *optumus, pessumus, maxumus, minumus, plurumus, summus, infumus, proxumus*, uim primigeniam mature amisisse. Qua re factum est, ut superlatiui illi cum positiuis componi possent. Alios superlatiuos ("Die regelmässigen Superlative") iam inde ab aetate auctoris b. Alex. cum positiuis coniungi docet Schmalz l. l.: sed iam Plautus nonnumquam legem illam migrare uidetur. Iam exempla adferam.

a. Rud. 1321:

Miserum istuc uerbum et pessumumst: 'habuisse et nil habere'.

Capt. 769:

Maxumas opimitates opiparasque offers mihi.

b. Cf etiam Mil. 1382 sq.:

. . . salue, uir lepidissume, Cumulate commoditate, . . .

Poen. 510:

Nequiquam hos procos mihi elegi loripedis, tardissumos.

Particula additur Stich. 189:

Nili quidem hercle uerbumst ac uilissumum [1].

Hi duo loci imprimis notandi sunt, Capt. 278:

Quod genus illi est unum pollens atque honoratissumum

ubi *pollens* ui et significatione superlatiui gradus quodammodo praeditum est, cf Redslob, "Berl. phil. Woch." XVIII. p. 817: "*pollens* hat eben superlative Bedeutung".

[1] Sic Abraham, "Woch. f. Kl. Phil." II: p. 451. A *uerbum et ac uilissimum*, cf Seyffert, "Berl. phil. Woch." XVI. p. 287. P *uerbum aculissimum*.

Rud. 1301:

Ita quanto magis extergeo, rutilum atque tenuius fit;

cf Sonn. ad l. Langen, "Beitr." p. 290. — Cf etiam Phorm. 362 sq., u. infra p. 51.

2. De adiectiuorum collocatione.

Adiectiua, quae ἀσυνδέτως componuntur, non solent interpositis uocabulis dirimi. Pauca exempla, quae hanc legem migrare uidentur, iam adferam.

Rud. 911:

Piscatu nouo me uberi compotiuit.

Cf Sonn. ad h. l. — Trin. 171:

Gregem uniuorsum uoluit totum auortere.

Substantiuum, ad quod duo adiectiua spectant, medium obtinet locum:

Rud. 907:

Qui salsis locis incolit pisculentis.

Sonnenschein quidem (u. adnot. ad h. u.) adiectiua dissolute posita esse docet. Sed nihil obstat, quantum uideo, quo minus *salsis locis* unam notionem efficere putemus ita ut pro uerbo, quod est *mari*, positum sit.

Rud. 282 in codicibus sic traditur:

Sed haéc pauperés res sunt ínopesque puellae.

Hoc quidem loco multi uiri docti *que* expulerunt, quo seruato metrum pessumdari uidetur (cf Schoell in adn. crit.) Sed etiamsi particula deletur, non uidetur necesse esse asyndeton constituere uirgulis ante et post *inopes* positis (G.-S.), u. Sonnenscheinii interpungendi rationem. Uss. librorum scripturam duobus bacchiis cum tribus trochaeis discribi posse censet. Equidem haud scio an melius sit uersum hunc in modum metiri:

Sed haéc pauperés res || sūnt ĭ́nŏpēsquĕ pŭ́ēllae

quod iam Seyffert de bacch. p. 10 uoluit improbante Muellero, "Pros." p. 250. Sed eandem metiendi rationem etiam alibi inuenimus uelut Poen. 256:

Dignum Ueneri pol quoi || sunt Aphrodisia hodie.

Neque de correptione mediae syllabae uerbi, quod est *puellae*, dubitandum esse credo [1].

In cantico illo Trinummi, quo nullum magis exercuit ingenia summorum philologorum, legimus u. 297 sq.:

Níl ego istós moror faéceos móres,
Turbídos, quibus boni dedécorant se.

(G.-S. uu. 293—98 accentibus sic notarunt).

Sic A, G.-S. Leo Uss. alii; P: *et turbidos.* Ritschelio duce *Turbidos* pro gloss. del. Bx, Schoell, alii: defendit Spengel "Reformvorschl." p. 61. Mihi quidem duabus maxime de causis uox illa seruari posse uidetur: primum quod Plautus haud raro duo uocabula, alterum uetus et uulgatum, alterum minus usitatum, componit, ut dictio uaria magis et copiosa euadat, tum quod optime inter se respondent cret. tetram. cat. 293. 5. 7. et anap. dim. acat. 294. 6. 8. Eadem adiectiuorum collocatio inuenitur Pers. 707 sq.:

. . . longa nomina Contortiplicata habemus.

Appuhn l. l. p. 64 cf p. 54 sq. non satis dilucide disputasse uidetur de adiectiuis, quae uersu separantur. Ac primum quidem moneo, duo adiectiua a substantiuo suo uersus fine saepe seiungi (asyndeton: Pseud. 988 sq. Pers. 437 sq. Trin. 750 sq., part. additur: Epid. 559. Truc. 345. Poen. 1260. al. ll.). Sed adiectiua ipsa nonnumquam dirimuntur (cf quae de substantiuis supra disputaui):

Aul. 226 sq., Pseud. 697 sq., Rud. 1158 sq., p. 43; Mil. 1382 sq., u. p. 48, ubi uocabula, quae allitteratione cohaerent, in eodem uersu collocauit poeta, u. Appuhn l. l. p. 19.

Si particula copulatiua additur, in initio proximi uersus collocatur, Trin. 24 sq.:

Inmoenest facinus, uerum in aetate utile Et conducibile.

Cf Mil. 63 sq. Poen. 1344 sq. Epid. 258 sq., al. ll.

[1] Klotz, ("Altröm. Metr." p. 91, cf etiam Lindsay, "Journ. of Phil." XXI p. 198 sqq. XXII p. 1 sqq. Leo, "Forsch." p. 291 sq.) negat fieri posse ut media syllaba uocabulorum, qualia sunt *profecto, molestae, dedisse,* lege illa corripiantur. Sed Seyffert, "Berl. phil. Woch." XI p. 880, Ann. Burs. t. LXXX p. 263 sq. ostendit regulae Klotzianae nec rationem nec ueritatem ullam esse, cf etiam Skutsch, "Jambenkürz. u. Syniz." p. 9 sq. Esch, De Plaut. corrept. sec. syll. uocabul. polysyll., de nostro loco nihil, quantum uidi, habet. Neque tamen negauerim numeros suauius fluere particula omissa, quae facile irrepere potuit.

In exitu uersus antecedentis Plautus numquam, quantum scio, particulas copulatiuas collocat.

In fabulis Terentianis pauci loci exstant, ubi adiectiua uersu seiunguntur; cf Phorm. 362 ... homo iam grandior, Pauper; particula in initio uersus ponitur Eun. 418 sq. 486 sq. et fortasse aliis locis. *Et* in fine uersus ponitur Haut. 521 sq.:

Mulier commoda et Faceta haec meretrix.

Lor. ad Mil. 663 h. l. eis adnumerat, ubi duo adiectiua dissolute posita post substantiuum, ad quod pertinent, collocantur. Sed structura illa Plauti propria Terentio non fuit in deliciis, neque defenditur asyndeton orationis colore atque natura. Neque dubium est, quin Umpf. et Fabia particulam omnium codicum fide munitam recte seruauerint Eun. 926:

Nam ut mittam quod ei amorem difficillumum et
Carissumum ... (u. p. 48).[1]

Ad. 375:

... uostram nequeo mirari satis
Rationem: : Est hercle inepta, ne dicam dolo, atque
Absurda.

Non negauerim Terentium h. l. particulam omittere potuisse, quo magis gradatio appareret; sed codicum auctoritatem (*atque* ab initio sequentis uersus habet A) et Donati testimonium equidem non ausim spernere[2].

Cf etiam Inc. Inc. Trag. 191 sq.:

Situm inter oris barba pedore horrida atque
Intonsa infuscat pectus inluuie scabrum.

atque del. Bothe; def. Vahlen, Ind. lectt. a. 1878 p. 6.

[1] Alios locos, ubi Terentius duo adiectiua attribute posita particulis copulatiuis coniungit, hic adferam:

1. Adiectiua post substantiuum collocantur: *et* Andr. 619. 954. Eun. 318. Phorm. 1008. *atque*, *ac* Andr. 123. Phorm. 324. 497. *-que* Eun. 418 sq. 486 sq. Phorm. 957.

2. Inuersus ordo occurrit: *et* Andr. 36. 956. Haut. 438; *atque* Andr. 274. Haut. 704. Eun. 709. Hec. 151 (γ DEF *et*, cf Amph. 1086.)

[2] Locos, ubi adiectiua praedicatiue ponuntur addita particula copulatiua, adferre supersedeo. Cf tamen Hec. 841:

Uide, mi Parmeno, etiam sodes, ut mihi haec certa et clara attuleris.

Certa clara adferre locutionem sollemnem fuisse concludere licet ex Cic. ad Att. XVI. 13 c. 2. Senec. Apocol. 1, cf Woelffl. Allitt. p. 51.

Acc. Praet. 26 sq.:

Resupinum in coelo contueri maximum ac
Mirificum facinus . . . cf Rbk ad l.

3. De numeralibus

h. l. pauca addere liceat. — Si ab uno loco discesseris. Most. 630:

Quattuor quadraginta illi debentur minae[1]

particula semper, quantum scio, additur, non solum ubi monas ante decadem ponitur, uelut Rud. 1382:

. . . siue etiamdum siem Quinque et uiginti annos natus.

Merc. 430:

At ego si uelim, iam dantur septem et uiginti minae.

Ad. 938:

Ego nouos maritus anno demum quinto et sexagensumo;

cf etiam Rud. 1328:

. . . uin centum et mille? : : Dormis;

Bacch. 272:

. . . reddidit Ducentos et mille Philippum.

sed etiam ubi inuerso ordine componuntur numeralia:

Mil. 629:

Nam equidem haud sum annos natus praeter quinquaginta et quattuor.

Merc. 673:

Quid oneris? : : Annos octoginta et quattuor.

cf Mil. 42 sq.:

. . . Memini: centum in Cilicia Et quinquaginta . . .

Bacch. 230:

Mille et ducentos Philippum attulimus aureos.

Cf etiam Neue-Wag., "Formenl."[3] II. p. 291 sqq.

III. Aduerbia.

A. Duo aduerbia componuntur.

Aduerbia inter se contraria

Terentius nonnumquam ἀσυνδέτως composuit in locutionibus sollemnibus, uelut

[1] Sic codd.; Schoell *Quattor* improbante Skutschio, "Berl. phil. Woch." XIV p. 140.

Eun. 278:

Ne sursum deorsum cursites neue usque ad lucem uigiles.

Hec. 315:

Trepidari sentio et cursari rursum prorsum . . .

prorsum omis. A. Cf Don. ad l. Cf Enn. Trag 104:

. . . rursus prorsus reciprocat fluctus fera.

Haut. 512:

Hac illac circumcursa: inueniundumst tamen.

Atque additur Eun. 105 . . . hac atque illac perfluo. Preuss, qui p. 16 sqq. de huiusmodi formulis disputat, p. 26 docet *hinc illinc* occurrere Ad. 673 sq., qui locus in omnibus libris sic traditur:

An sedere oportuit
Domi uirginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc ueniret, exspectantem?

Huc seruarunt Umpf., Dz., Fleck. Alii, uelut Bentley et Spengel, Donatum secuti ("prouerbialiter *hinc illinc*") *hinc* uerum esse sibi persuaserunt. Cf tamen Dz. in adn. crit. ad h. l. p. 108. Praeterea uereor ut Terentius uocabula tam arte inter se cohaerentia uersu seiungere uoluerit.

Et additur Amph. 229 hinc et illinc, Most. 792 hic esse et illic. Plautus quidem solet *et* . . . *et* in aduerbiis contrariae notionis componendis uti: Amph. 593 sq. Aul. 607. Bacch. 655. Mil. 151. Most. 565. Poen. 35. Truc. 152.

Aduerbia, quae idem fere significant,

apud poetas scaenicos haud raro componuntur nulla addita particula copulatiua, sed nonnumquam aegre discernas, quid asyndeton sit, quid aliam explicandi rationem admittat.

De *uero serio* cf Persson, Adnot. Plaut. p. 93. Terentius locutione illa usus est Eun. 393. Ad. 975. Iam inspiciamus exempla a Brixio ad Mil. 177 adlata, Cist. 639:

Dic me orare, ut aliquis intus prodeat propere ocius[1].

Cas. 744, si a paruulis discrepantiis recesseris, sic exhibent codd.:

Hisce ergo abeant: : Propere cito intro ite et cito deproperate;

---

[1] De *ocius* comparatiui significatione cf Lor. ad Most. 679. Speng. et Meissn. ad Andr. 724. Woelfflin, "Lat. u. rom. Komp." p. 64.

ubi Schoell (cf praef. Most. p. XV **) septenarium anapaesticum restituit duabus litteris additis: Cit<ri>o. Rud. 1323:

Eloquere propere celeriter.

His locis aduerbia illa ἀσυνδέτως posita esse sibi persuaserunt Bx, Lor., Preuss p. 61: alii, in quorum numero est Landgraf, De fig. etym. linguae Lat. p. 60, eam structuram agnoscunt, qua aduerbia ad uocabulorum, quae simili significatione praedita sunt, notionem intendendam adhibentur. Woelfflin, "Lat. u. roman. Komp." p. 14, et Gehlhardt, De aduerbiis ad notionem augendam a Plaut. usurpatis p. 45, rem in medio relincunt. Preuss l. l. ad sententiam suam confirmandam Curc. 283 in comparationem uocauit:

Ita nunc subito propere et celere obiectumst mihi negotium,

sed hic locus, quantum dispicio, haud ita multum ualet, cum aduerbium et adiectiuum composita sint (u. infra.) Cf tamen Poen. 567 Hoc cito et cursimst agendum. Qui figuram etymologicam agnoscunt, *propere celeriter* cum Trin. 1008 . . . *fac te propere celerem* conferri iubent.

Cf Aul. 188:

Anus hercle huic indicium fecit de auro: perspicue palamst.

ubi aduerbia dissolute posita esse sibi persuasisse uidetur Preuss p. 58, cf tamen Gehlhardt l. l. p. 45. Neque ex ea re, quod Cic. Tusc. V. 24 *male misereque uiuendum* scripsit et Gellius N. A. IX. 15. 9. *male ac misere*, concludere licet aduerbia illa ἀσυνδέτως composita esse Bacch. 934 (cf Preuss p. 20):

Qui misere male mulcabere quadringentis Philippis aureis;

uerisimilius est *male* sensu idem fere esse ac *ualde*, cf Woelfflin, "Lat. u. rom. Komp." p. 15. Allitt. p. 14[1].

Haud scio an idem ualeat de Trin. 1175:

Foras [e]uocate: ita subitost propere quod eum conuentum uolo.

[1] *male mulcare* et apud poetas scaenicos (cf Mil. 163. Most. 903. Trin. 984. Eun. 774) et apud posteriores scriptores saepe occurrit, cf Cic. Brut. 88 male mulcatos; u. Georg. Lex. s. u.

Respondet autem *misere male mulcabere,* si Woelfflini interpretationem amplectimur, ad nostrum: "du skall bli jämmerligt illa klådd", de gradatione duplici cf Trin. 931 Quos locos adiisti? : : Nimium mirimodis mirabiles; Cic. Tusc. II: 44 bene plane magnus.

Curc. 283, u. infra p. 59. — Sed porro pergamus. Bx l. l. adfert Bacch. 374:

Quae ut aspexi, me continuo contuli protinam in pedes.

Sed aduerbia illa non idem significant, cum *protinam* de loco, non de tempore dicatur, cf Langen, "Beitr." p. 163[1].

Cf Pseud 587:

Post ad oppidum hoc uetus continuo meum exercitum protinus obducam.

De *protinus* aduerbio cf Lor. et Bx ad Mil. 1193. Lindsay-Nohl, Gramm. p. 639. Aduerbia illa seiunguntur etiam his locis: Mil. 177:

Nescio: ita abripuit repente sese subito . . .

Aul. 264:

Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.

Cf etiam Cas. 295:

Intro abi atque actutum uxorem huc euoca ante aedis cito.

Mil. 522. Sed persaepe difficile est diiudicare, quid uerum asyndeton sit; mihi quidem non dubium uidetur quin Preuss p. 62 sqq. 68 *) (cfr etiam Lor. ad Most. 74. 848. 1037, praef. Pseud. p. 44) modum transierit locutiones, quales sunt *sed autem, namque enim, quoque etiam* (cf "Am. Journ. of Phil." XVIII. p. 36 sq.), *edepol uero,* sim. ἀσυνδέτως positas esse contendens; melius Uss. ad Aul. 264 (= 256 U.): "*propere . . . strenue:* Plautina abundantia"; Meissner ad Andr. 106: "*ibi tum,* häufige pleon. Verbind. . . . Aehnliche Pleonasmen 483 *post deinde,* Eun. 317 *itaque ergo,* ib. 246 *olim quondam* Haut. 907 *una simul*". De *una simul* u. Lor. ad Most. 1037; addo Haut. 907. Pacuu. Trag. 365 *(simul una); rursum denuo* legitur Cas. 33. Poen. 79; *simulter itidem* Pseud 382.

Poen. 662:

At enim hic clam furtim <se> esse uolt, nequis sciat.

ib. 1022:

Nequid clam furtim se accepisse censeat.

Sic A; B *furtise,* quod eodem redit; CD *furtiue,* quod Preuss p. 58 non debuit recipere.

---

[1] Bx sibi parum constitisse uidetur, cum in adn. ad u. 1193 Langenum secutus *protinam* ui temporali praeditum esse neget.

Phorm. 757:

. . . quam saepe forte temere Eueniunt quae . . .

Cf Hauler ad l.

Amph. 463 in libris sic traditur:

Bene prospereque hoc hodie operis processit mihi

qui locus uariis emendationibus temptatus est. Useneri coniectura (Ind. Gryph. a. 1866: p. 16) *pro speque,* de qua Leo in adn. crit. ad h. l. mentionem facit, uix probari potest, cum Plautus ne tum quidem secundo uocabulo *que* particulam adplicare soleat, cum primum locum obtinet praepositio (cf Leo, "Gött. Nachr." a. 1895 p. 419). Uss. *hodie* deleuit, quod e u. 462 irrepsisse iam Lindemann suspicatus est. G.-S. et Leo particulam copulatiuam sustulerunt Acidalio duce. Sed *bene* nusquam aduerbiis adponitur ad uim notionis augendam (de adiectiuis cf Gehlhardt l. l. p. 33) nisi Eun. 1074 bene lubenter uictitas, cf Woelfflin, "Lat. u. rom. Komp." p. 14; neque aduerbiis sine particula copulatiua ita adnectitur, ut utrumque per se constet et alterum alteri per asyndeton adponatur. Additur particula

a. *et:* Curc. 698 bene et pudice, ib. 518. cf Andr. 274. Haut. 226; Men. 980; Cas. 855; Ad. 953.

b. *atque:* Pseud. 521. Stich. 469; Men. 273; *ac:* bene ac pudice Cist. 173.

c. *que:* Capt. 992 bene pudiceque, Amph. 349; Aul. 788. Mil. 898. Most. 815. Pseud. 459.

Quae cum ita sint *que* retinendum esse uidetur. Neque tamen Palmero adsentior *prosp're* scandi iubenti (u. adn. ad h. l.); mihi quidem arridet Skutschii metiendi ratio (cf "Berl. phil. Woch." XIV p. 265, "Iambenkürzung und Syniz." p. 14[a]):

Bene próspĕrĕque hóc hodie óperis prócessít mihi;

addito *que* anapaestus ille tolerari posse uidetur[1].

Apud Plautum aduerbia paullo saepius copulantur *et* particula quam *atque, que; ac* occurrit Amph. 964. Asin. 206. Cist. 10. 173, apud Ter. quinquies, Andr. 74. Haut. 344. Eun. 175. Hec. 552. Ad. 45. Geminatio occurrit Pseud. 1214. Eun. 507

[1] Maurenbrecher, "Hiatus und Verschl." p. 25 sqq. anapaestos, qui ita formati sunt, ut cum anapaesti prima uel altera breui syllaba etiam uocabulum polysyllabum finiatur, iniuria suspectos esse contendit. Cf p. 47.

Pac. Trag. 74 magis magisque; Aul. 18. Haut. 594 minus minusque; Aul. 546 plus plusque; Trin. 674. Aul. 614. Eun. 56 etiam atque etiam.

Ad. 392 sq. in A legimus:

. . . Nimium inter uos, Demea,

— Non quia ades praesens dico hoc — pernimium interest.

Codd. Call. in fine u. 392 *ac* praebent, quod edd. recte sustulerunt, non quod particula illo uersus loco posita a sermone Terentiano abhorreat, sed quia Bembinus multis aliis locis ueram scripturam seruauit, cum ceteri codd. coniunctiones aliasque particulas addiderint (cf Sydow, De fide etc. p. 50 sq.), et asyndeton uenustate sua commendetur.

De *tot tam(que)* sim. locutionibus pauca addam.

Constat apud scriptores Romanos *tot* et adiectiuum uel participium, cui *tam* adiunctum est, persaepe dissolute componi. Ex fabulis haec exempla adnotaui.

Poen. 310:

Quam ob rem? : : Quia iam numquam audibis uerba tot tam suauia.

Cf Pseud. 218:

Ain, excetra tu, quae tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos?

Eun. 1047:

Quae tot res tantas tam opportune in unum conclusit diem.

Sed Acc. Trag. 175 *que* additur:

Te propter tot tantasque habemus uastitatis funerum.

Tantus cum adiectiuo, cui *tam* praecedit, componitur Andr. 938:

Spe gaudio, mirando tanto tam repentino hoc bono.

Cf Eun. 605. — Mil. 498:

Qui facinus tantum tamque indignum feceris.

Acc. Trag. 588:

Disturbent tantas et tam opimas ciuium Diuitias.

Si *tam* aduerbium ad duo adiectiua pertinet, aut semel ponitur (Mil. 1042 hominem tam pulcrum et praeclarum, Bacch. 669. Haut. 438) aut utrique adiectiuo adponitur, Most. 186:

Equidem pol miror tam catam, tam doctam te et bene eductam,
Nunc stultam stulte facere.

Sic Skutsch, "Berl. phil. Woch." t. XIV p. 137 praeeunte Cam. al. Codd. *tam captam tam doctam te et bene doctam;* ceterorum conamina u. ap. Schoellium in adn. crit.

Andr. 608:

. . ., quandoquidem tam iners, tam nulli consili sum.

Cf Mil. 627 sq. — *Ac* legitur in B Truc. 933:

Huncine hominem te amplexari tam horridum ac tam squalidum. B *acta* CD *atque;* cf Seyffert, Philol. t. XXVII p. 472. *tam* (adi.) *tamque* (adi.) apud poetas scaenicos non inueni[1].

B. Adiectiua et aduerbia componuntur.

Constat scriptores Romanos iam inde antiquitus non solum adiectiua cum adiectiuis et aduerbia cum aduerbiis coniunxisse sed etiam adiectiua cum aduerbiis haud raro composuisse uel addita coniunctione copulatiua uel ἀσυνδέτως. Cf Schmalz, Stilistik[3] p. 488. Cuius structurae, quae etiam Graecae linguae propria erat (u. Schmalz l. l.), haud pauca exempla exstant apud poetas scaenicos, quae Persson, Adnot. Plaut. p. 93 sqq., ita tractauit, ut mihi non aliud negotium reliquerit quam per uiam tutam ac munitam porro proficiscendi. Cf etiam Bx ad Trin. 268. Capt. 960. — Ad exempla asyndeti l. l. adlata (Amph. 658. Asin. 562. Epid. 521. Mil. 392. Pers. 288. Stich. 481; Amph. 855. Pseud. 340.) addo Mil. 364 sq.:

. . . qui probri me maxumi innocentem Falso insimulauit . . .

Cf etiam Pseud. 545:

Stilis me totum usque ulmeis conscribito.

Stich. 288 P:

Quidnam dicam Pinacium Lasciuibundum tam lubenter currere? Cf Abraham, "Woch. f. kl. Phil." II. p. 451. A *lubentem;* Goetz, Leo.

Sed difficile est constituere, quae exempla asyndeto adnumeranda sint, quae aliam explicandi rationem admittant. Itaque ad eos locos transeamus, ubi particula copulatiua coniunguntur adiectiua et aduerbia. Plerumque inuenitur *et*, uelut

Pseud. 687:

Sed iam satis est philosophatum; nimis diu et longum loquor; cf Langen 'Beitr.' p. 187 ("*loqui* mit dem Inhalt der Rede als Objekt").

[1] Krebs-Schmalz, Antibarb. p. 410, de collocatione particulae *que* apud Cic. in huiusmodi formulis partim falsa docent; cf O. R., Rev. de Phil. XIII p. 85.

ib. 591:

. . . . magna me facinora decet efficere,
Quae post mihi clara et diu clueant.

Asin. 567 sq.:

Uerum edepol ne etiam tua quoque malefacta iterari multa
Et uero possunt . . .

Pseud. 110:

Scis tu quidem hercle, mea si commoui sacra,
Quo pacto et quantas soleam turbelas dare.

Capt. 960:

Recte et uera loquere: sed neque uere neque tu recte adhuc
Fecisti umquam.

Sic EJ, G.-S., Leo, Bx, Schoell coll. Ad. 609: Et recte et uerum dicis, cf etiam καλῶς καὶ ἀληθῆ λέγεις, sim. B, quem secuntur Uss. et Sonn., *recta* praebet.

Trin. 380 in codd. AP sic traditur:

Multa ego possum docta dicta et quamuis facunde loqui.

Et sine iusta causa expellunt G.-S., Bx, alii; retinuerunt Uss. et Leo, cf Uss. ad l., Redslob, "Berl. phil. Woch." XII p. 1230. E. R., "Litt. Centralbl." a. 1896 p. 782. His exemplis haud scio an adnumerare liceat Curc. 283, qui locus interpretatoribus negotium exhibuit:

Ita nunc subito propere et celere obiectumst mihi negotium.

Seyffert de *celere* dubitat, quod pro aduerbio coniungi potuisse cum *propere* credunt G.-S., u. praef. ed. min. p. IX sq.; pro aduerbio habent etiam Neue-Wag., "Formenlehre" [3] II p. 587. Uss. monet *propere* aduerbium esse, *celere* adiectiuum, ut Phorm. 179:

Nullus es, Geta, nisi iam aliquod tibi consilium celere reperis

ubi ueteres grammatici *celere* acc. neutr. esse docebant (u. Hauler ad h. l.); Engelbrecht, Stud. Terent. p. 73, aduerbium agnoscit coll. Curc. 283. Equidem Ussingio adsentior [1]; quod autem uir doctissimus pergit: "Itaque necesse est aut *properum* scribatur aut *subitum*", uereor ut uerum uiderit. Nulla enim mutatione opus est, cum nihil impediat quominus aduerbium cum adiectiuo coniunctum esse putemus.

---

[1] *celeriter* adu. fere decies occurrit: Bacch. 604. Curc. 302. 600. Epid. 142. Most. 1065. Poen. 533. Rud. 1323. Stich. 609. 724. 759.

Cf Epid. 142:

. . . huic homini opust quadraginta minis
Celeriter calidis, danistae quas resoluat, et cito.

Sed hic locus paullo aliter comparatus esse uidetur, cum *cito* in exitu uersus collocatum maiore quadam ui praeditum sit (i. e. et cito quidem, "och det snart").

Aul. 315, qui locus sic traditur in libris:

Censen uero adeo [esse] parcum et misere uiuere

Seyffert Stud. Plaut. p. 9 ita mutandum esse censet, ut *miserum* scribatur, coll. locis, ubi *miser uiuo* occurrit; fortasse retineri potest codicum scriptura, cum u. 14 prologi, qui a Plauto scriptus esse uidetur (cf Leo "Forsch." p. 191 sq.) codd. praebeant: Quo cum labore magno et misere uiueret. Si res ita se habet, etiam *esse* facillimam habet explicationem: additum esse uidetur a librario quodam, qui in compositione adiectiui et aduerbii offendit. — Fortasse huc pertinet Most. 318, quem locum Uss. G.-S. Leo sic ediderunt:

Núnc comisatum íbo ad Philolachétem,
Úbi nos hilari ingénio et lepide accípie<n>t.

accipient, quod Lorenzio debetur, recepit etiam Schoell, qui tamen *et* deleuit. Ceterorum uirorum conata u. in adn. crit.; *elepida* (t& e) B. *hilari* nom. plur. esse ostendit Abraham, Stud. Plaut. p. 222 sq., cum tota prisca latinitas non *hilaris* nouerit sed *hilarus* (aliter sentit Engelbrecht, stud. Ter. p. 26 sq., cf Neue-Wag. "Formenl."[3] II. 149); cf etiam Schoell in app. crit. — Neque intellego, cur Uss., G.-S., Leo Scaligeri emendationem *multo* codicum scripturae praetulerint Pseud. 556:

. . . si non dabis Clamore magno et multum flagitabere.

Multum aduerbii uice fungens uerbis saepe adponitur, cf Gehlhardt l. l. p. 8, Seyffert, Ann. Burs. t. LXXX p. 294 sq.

Ex fragmentis unum exemplum adnotaui, Acc. Trag. 151:

Inter quos saepe et multo inbutus sanguine.

Que legitur Trin. 268:

Sunt tamen quos miseros maleque habeas.

Atque: Men. 1073:

Quaeso ignoscas, siquid stulte dixi atque inprudens tibi.

Bacch. 474:

... tu Pistoclerum falso atque insontem arguis;

nam Coshio minime credo quamuis confidenter neganti adi. et adu. coniungi ("*atque* does not connect *falso* and *insontem,* but Pistoclerum and the latter ... see u. 84")[1].

Praeterea conferre liceat

Rud. 915:

Nam ut de nocte multa impigreque exurrexi

Bacch. 505:

Ni ego illam exemplis plurumis planeque amo,

cf Lor. Praef. Pseud. p. 43 ("Verschiedenartiges.")

Mil. 449:

Mittis an non mittis? :: Immo ui atque inuitam ingratiis.

Phorm. 239:

... quia praeter spem atque incredibile hoc mi optigit.

---

[1] Haud alienum uidetur exempla, quae ex aliis scriptoribus adnotaui, h. l. in comparationem uocare; cf etiam Schmalz et Bx l. l.

Sisennae fragm. 25 P.: Occulte tacitique aduenientiam cohortium praestolari occipiunt.

Lucr. IV: 499:

Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum,
Omnia mendose fieri atque obstipa necessest.

Cat. XXXI 4:

Quam te libenter quamque laetus inuiso.

Sall. Iug. V: 4 ... capto Syphace, cuius in Africa magnum atque late imperium ualuit.

Cic. ad Fam. VII. 22 ..., etsi domum bene potus seroque redieram. Tusc. V: 2. 5: Tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. De Off. I. 8. 27: ... permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi ... an consulto et cogitata fiat iniuria. ib. I. 38. 136: Sed ... ad hoc genus castigandi raro inuitique ueniemus; cf Uerr. III. 41. 96: Inuiti enim Romam raroque decedunt. De imp. Cn. Pomp. 47: Relicum est, ut de felicitate ... timide et pauca dicamus. De Or. II. 74. 302: nec, si hoc Crassus non committit, ideo non multi et saepe committunt. Orat. XXI: 70: De quo praeclare et multa praecipiuntur.

Liv. II. 30. 11: Itaque effusi et contemptim pugnam iniere; cf Müller ad l. XXIII: 24. 3: Dictator de se pauca ac modice locutus. XXV: 11. 4: ut successu cresceret audacia pluresque et longius pulsos prosequerentur. XXXVI. 23. 4: Hoc primis diebus ... et frequentes et impigre fecerunt; in dies deinde pauciores et segnius.

Sen. Ep. I. 2. 2. omnia cursim et properantes transmittunt.

IV. Pronomina.

Apud poetas scaenicos duo pronomina semper, quantum scio, particulis copulantur: itaque non credo Niemeyeri emendationem probari posse Trin. 1155:

Deos uolo consilia uostra < nostra > recte uortere;

quam etiam Seyffert, Ann. Burs. t. LXIII p. 90 alia de causa reiecit.

1. *Pronomina personalia*

per *et* aut *atque* copulari solent.

Most. 647 (= Rud. 564):

Talentis magnis totidem quot ego et tu sumus.

Stich. 663 (cf Cas. 215):

. . . locus liber datust Mihi et tibi apud nos.

Cas. 246:

. . . Di me et te infelicent.

Curc. 729:

Quae res bene uortat mi et uobis . . . Men. 1099.

Phorm. 442:

Gnatus, qui me et se hisce impediuit nuptiis.

Atque haud raro ante pron. monosyllabum in fine uersus ponitur, Trin. 69:

Men? : : Numquis est hic alius praeter me atque te?

Merc. 134:

Quae te malae res agitant? : : Multae, ere, te atque me.

Trin. 442 inter te atque nos. Epid. 671 me . . . atque te. Cf Pseud. 151, u. infra. Praeterea *atque* legitur Men. 2 (= Asin. 2) mihi atque uobis. Cas. 752 me atque te, Pseud. 69 mihi . . . atque itidem tibi. *Ac:* Phorm. 808 ego sum ac tu.

Tac. Hist. IV. 40 Domitianus de . . . pauca et modice disseruit, (cf Liv. XXIII. 24. 3.) — IV. 46. Dein quibus aetas et iusta stipendia dimissi cum honore, alii ob culpam, sed carptim ac singuli.

Cf etiam Weidner ad Iuu. Sat. III. 104. XI. 12.

Aut in sent. interr. Hor. Sat. I. 9. 23 sq.:

. . . Nam quis me scribere plures Aut citius possit uersus?

Ne idem uerbum quidem audiri potest Cic. de Fin. V. 88, si quidem locus ille recte traditus est: Sed haec etsi praeclare (sc. dixit, dicta sunt), nondum tamen perpolita (: sunt); cf Madv. ad l., qui Cic. ad Att. XVI. 7. 2 in comparationem uocat: haec, etiamsi non prudenter, tamen ἀνεμέσητα sunt.

que: Asin. 363 (= Truc. 517):

Mihi tibique interminatust nos futuros ulmeos.

Rud. 1166 sq.:

Qui te di omnes perdant . . . Meque adeo scelestum, qui . . .[1]

2. *Pronomina possessiua.*

Pauca admodum exempla adnotaui:

Trin. 1147:

Scite edepol:: Megaronides communis hoc meus et tuos
Beneuolens commentust.

Pseud. 648: inter erum meum et tuom. Stich. 701 amica mea et tua. Aul. 200 De . . . re . . . mea et tua. Mil. 738: tua te ex uirtute et mea[2].

Stich 10: .

Patrem tuom meumque adeo, unice qui unus. Cf Haut. 386.

3. *Pronomina personalia cum possessiuis coniunguntur.*

Ballas, Gramm. Plaut. I: p. 20 sq., quem Draeger II: p. 38 et Kühner II: p. 640 secuntur suum iudicium non adhibentes, per *que* particulam pronomen possessiuum pronomini personali eiusdem personae adiungi docet. Qua lege ut concesserim recentiores scriptores teneri (cf Ringe l. l. p. 14, Merten l. l. p. 31), ita contendo apud Plautum et Terentium *et* particulae usum non minus frequentem esse.

Ac primum quidem ex exemplis a Ballasio l. l. adlatis nonnulla seiungenda sunt, quae huc non pertinent: Amph. 317. Capt. 652. 768. Mil. 219, ubi sententiae, non pronomina copulantur; Pseud. 184 uulnere laborat; Men. 987 structura, de qua agitur, non exstat.

A. Legitur autem *que* his locis:

a. Pron. poss. substantiui uice fungitur:

---

[1] Apud Plautum *atque adeo* et *que adeo* formulae inueniuntur, sed *et adeo* Terentii proprium est, qui omnes illas locutiones adhibet.

[2] Pseud. 104, qui uersus uariis temptatus est coniecturis, Redslob "Neue phil. Rsch." a. 1888, p. 232 sanare uoluit hunc in modum:

Spero alicunde hodie me bona opera tua et mea
Tibi inuenturum esse auxilium . . .

A *opera aut hoc meam* P . . . *haec mea.*

Bacch. 846:

Qui me meosque non queam defendere.

Amph. 8 (omis Ball.):

Et uti bonis uos uostrosque omnis nuntiis
Me adficere uoltis . . .

b. Pron. poss. plerumque ad substantiuum quoddam pertinet.

Capt. 670: (= Cist. 501, omis. Ball.)

Quia me meamque rem, quod in te uno fuit. Cf Cist. 365.

Capt. 898:

Unde id? : : A me meoque gnato : : Sponden tu istud? : : Spondeo.

ib. 702:

Qui nunc propter me meaque uerba uinctus est.

Aul. 736 (omis. Ball.):

Quam ob rem ita faceres meque meosque perditum ires liberos.

Amph. 1090:

Ut scias tibi tuaeque uxori deos esse omnis propitios.

Bacch. 413:

Nunc propter te tuamque prauos factus est fiduciam.

Stich. 126:

Edepol uos lepide temptaui uostrumque ingenium ingeni.

Poen. 1253 (tria pronomina):

Nunc quod boni mihi dei danunt uobeis uostraeque matri.

Most. 250 (= Pseud. 1132):

Mulier quae se suamque aetatem spernit, speculo ei usus est.

Eun. 383:

Deducar et illis crucibus, quae nos nostramque adulescentiam

Cf Enn. Ann. 583 M.

Auersabantur semper uos uostraque uolta.

Uidemus igitur pronomina non seiungi excepto Stich. 126: Aul. 736 prius *que* primo sententiae uocabulo adhaeret. Inuersum pronominum ordinem inueni Merc. 410 sq.:

. . . uxori meae Mihique obiectent lenocinium facere.

que substantiuo additur Cas. 314:

Quin si tu nolis filiusque etiam tuos.

Cf etiam Most. 406:

In tuam custodelam meque et meas spes trado, Tranio.

B. *Et* particulae, quae in inscriptionibus persaepe occurrit (cf Elmer, 'Am. Journ. of Phil.' VIII p. 319), Draeger l. l. unum adfert exemplum, Mil. 224. Legitur autem his locis:

a. Substantiuum non additur, Epid. 548:

Salua sis:: Salutem accipio mihi et meis:: Quid ceterum?

Amph. 1131:

Bono animo's: adsum auxilio, Amphitruo, tibi et tuis.

Aul. 225:

Ut propter me tibi sit melius mihique propter te et tuos.

Merc. 702:

Em, quoi te et tua quae tu habeas commendes uiro.

Amph. 214:

Respondent bello se et suos tutari posse, proinde uti

b. Si pron. poss. ad substantiuum quoddam pertinet, aut ante substantiuum collocatur:

Asin. 160:

Ego te dehinc, ut merita's de me et mea re, tractare exequar.

Mil. 716:

Nimis bona ratione nimiumque ad te et tuam uitam uides.

Poen. 863:

. . . Dei te et tuom erum perduint.

ib. 912:

. . . Pol istuc tibi et tuost ero in manu.

Aul. 409:

Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.

Pers. 171:

Mequidem iam satis tibi spectatam censebam esse et meos mores.

ib. 836 sq.

. . . nam hercle absque me Foret et meo praesidio, . . .

aut post substantiuum; persaepe in fine uersus ponitur:

Curc. 628:

Phaedrome, obsecro, serua me:: Tamquam me et genium meum.

Aul. 787:

. . . quae res tibi et gnatae tuae Bene feliciterque uortat.

Men. 389:

Egon te iussi coquere?:: Certo, tibi et parasito tuo[1].

[1] G.-S. hiatum non legitimum *(tibi et)* denotat lineola addita; cf tamen Seyffert, "Berl. phil. Woch." X p. 309 XI p. 882.

Stich. 507:

Rediisse uideo bene gesta re ambos, te et fratrem tuom.

Mil. 224:

Qua cibatus commeatusque ad te et legionis tuas.

Phorm. 217:

Mane inquam:: Egomet me noui et peccatum meum.

Haut. 961:

Quidquid ego huius feci, tibi prospexi et stultitiae tuae.

Cf etiam Cas. 290 sq.; ib. 299:

Ibi ego te et suffragatores tuos ulciscar:: Attamen

Cist. 1 sq. Pseud. 191. 589.

Per *atque* particulam pron. pers. cum pronomine possessiuo substantiue posito Plautus et Terentius coniungere non solent. Cf Afran. 192:

Expeiurabant, execrabant se ac suos.

Si substantiuum additur, pron. poss. in clausula collocatur (cf exx. supra adlata), Trin. 394:

Sed hoc unum consolatur me atque animum meum.

Sic P; A Sed hoc me unum ..., Baier l. l. p. 73. Cf Sall. Cat. 52: 8: mihi atque animo meo.

Rud. 486:

Neptuno credat sese atque aetatem suam.

Cf se suamque aetatem Most. 250. Pseud. 1132, u. supra.

Truc. 378:

Iam lauta's?:: Iam pol mihi quidem atque oculis meis.

Cf Cas. 418. — Ordo inuersus est Capt. 407:

... fueris animatus ergá suom gnatum atque se.

4. Pronomina personalia et demonstratiua semper fere per *atque* copulantur:

Cas. 371 (= Bacch. 1121 a)

Sed te uterque tuo pro iure ego atque hic oramus:: Quid est?

Capt. 378:

Nunc ita conuenit inter me atque hunc, Tyndare.

Aul. 414 me atque hos. Haut. 1030 mihi atque huic. Cist. 3 tu atque haec.

Capt. 367 (= Pseud. 1093. Caec. Stat. 17):

... mutatio Inter me atque illum ut nostris fiat filiis.

Bacch. 488 me atque illo. Andr. 689 me atque illam. Asin. 208 (= Haut. 653) te atque illam. Andr. Exit. Supp. 3 te atque illa. Most. 465 te atque istos. — Poen. 1387 sq. te ... Et hunc.

Perraro pron. dem. ante pron. pers. collocatur, uelut Pseud. 349:

... Quid opust gladio? :: Qui hunc <una> occidam atque me.

ib. 151 ... uincitis duritia hoc atque me. — De pron. pers. in fine uersus posito u. supra.

Poen. 294:

Quid eo opust? :: Ego dicam: ut illi et tibi limem caput.

Bacch. 59 (cf Mil. 670 sq.):

Quia, quom tu aderis, huic mihique haud faciet quisquam iniuriam.

Men. 596 sq.

Di illum omnes perdant ... Meque adeo, qui ... Cf Eun. 303.

De pronominibus relatiuis et interrogatiuis infra agam.

V. Uerba.

1. Uerba contrariae significationis

haud ita multis locis inueni; cf Rud. 672:

... anum praecipes Reppulit, propulit perquam indignis modis.

Most. 235, cf Preuss p. 98:

... dies noctesque estur, bibitur.

Poen. 835, u. p. 17; ib. 534, u. infra.

Infinitiui per *et* copulantur, Trin. 259:

Quamquam illud est dulce, esse et bibere.

Poen. 313, cf Most. 959. — Truc. 155:

Uos saltem siquid quaeritis, ecbibitis et comestis.

Cf Poen. 819, p. 3, Mil. 137, p. 5. — Preuss p. 39 docet *demunt danunt* dissolute componi Truc. 245, cf etiam Langen, "Beitr." p. 305; legendum autem est cum P, cf Baier l. l. p. 29 sq.:

Qui de thensauris integris demus danunt.

Cas. 880:

Ita ridicula auditu iteratu ea sunt, quae ego intus turbaui.

Si duo eiusdem uerbi tempora componuntur (cf Geisler, Phil. t. X p. 104: "auch die Zeiten bilden natürliche Gegen-

sätze"), particula semper additur apud poetas scaenicos [1], uelut Pers. 847:

Malum uobis dabo:: At tibi nos dedimus dabimusque etiam ...

Rud. 644. Trin. 56. Apud scriptores argenteae quae uocatur aetatis *que* particula, si Geislero credere licet, in magno usu fuit; Cicero etiam *et* posuit, cf Trin. 106:

Fuitne hic tibi amicus Charmides?:: Est et fuit.

ib. 619. 50. Capt. 392. *Atque* legitur Men. 118 (cf 991):

Rem necesse eloquist, quicquid egi atque ago.

Praeterea particulas inuenimus Amph. 2. Cas. 725. Epid. 652. Pers. 9. 174. Trin. 489. Ad. 73. Haut. 633. — Iam ad

2. Uerba, quae eadem fere significatione praedita sunt, transeamus. Cf Bx ad Trin. 243. Lor. ad Mil. 201.

Ac primum quidem aptum uidetur nonnullos locos adferre, ubi uerba simplicia cum uerbis compositis dissolute iunguntur, uelut Amph. 551:

Age i tu secundum:: Sequor, subsequor te.

Poen. 223:

Eae nos lauando, eluendo operam dederunt.

Eun. 962:

Dico edico uobis nostrum esse illum erilem filium.

E *Dico & edico.* His igitur locis uerbum compositum post uerbum simplex collocatur, cf Hauler, Quaest. Ter. p. 21. Inuersum ordinem inuenimus Merc. 681 (= Haut. 404):

Disperii perii misera: uae miserae mihi!

Incertius est de Eun. 377 iudicium, ubi tres imperatiui componuntur:

Age eamus intro nunciam: orna me, abduc, duc, quantum potest.

Sic codd. nisi quod *duc* omis. A^1, add. corr. ant. Neque ratio metrica uoculam illam flagitat, si uersum hunc in modum scandimus:

Age eámus íntro núnciám: orná me, abdúc quantúm potest

hiatu in caesura media admisso; ictuum dispositionem *orná me, abdúc* cum accentu conspirare uix est quod moneam. Sed facile omitti potuit uocula illa post uocabulum similiter cadens,

[1] Inscriptiones multa asyndeti disiunctiui exempla praebent, cf Altenburg, De serm. Ital. uetust. p. 14 sq.

cf Ad. 620 abi abi (A *abi* semel) Haut. 736 mane mane (*mane* semel A) Eun. 834 tace tace (*tace* semel EFG[1]).

Particula copulantur uerba Amph. 645 (G.-S. ictus omis.):
Absit dum modo laude parta domum recipiat se: feram et perferam
usque Abitum eius . . .

Cf Titin. 14:

Ita semitatim fugi atque effugi patrem.

Trin. 802:

Quid nunc stas? quin tu hinc amoues et te moues?

Cf Hauler l. l. p. 22. Niemeyer, Stud. Plaut. p. 5. • Leo, De fig. serm. I p. 28.

Uerba eiusdem quidem radicis sed uariis praepositionibus composita inuenimus Bacch. 935:

Nam ego has tabellas obsignatas, consignatas quas fero.

Most. 1031. Pers. 780 perii interii. — Pac. Trag. 384:

In turba Oresti cognita, agnota est soror.

Particula additur Capt. 791:

Eminor interminorque nequis mihi obstiterit obuiam,

cui uersui G.-S. crucem adfixerunt: alii uariis emendandi modis usi sunt, u. Schoell in adn. crit.; cf tamen Skutsch, "Forsch." I p. 9[2] (. . . nĕquī' mi obstíterit . . .); aliter Leo, de fig. serm. I p. 23. — Aul. 683 sq.:

. . . nunc te obsecro Resecroque, mater, quod . . .

Pers. 48 (cf Schoell in praef. p. XXIII):

. . . Obsecro te resecroque operam da hanc mihi,

ubi solus T *que* seruauit.

Bacch. 644:

Callidum senem callidis dolis
Compuli et perpuli mi omnia ut crederet.

Iam ad alia allitterationis exempla transeamus.

Rud. 882:

Oro, obsecro, Palaestra :: Sequere, carnufex.

Cf Preuss p. 95. Woelffl. Allitt. p. 19 sq. 73. Occurrit locutio illa etiam Amph. 923. Cas. 321 (cf etiam Mil. 69. Ad. 472). Poen. 1387 Geppert hiatum uitiosum (cf Maurenbrecher, "Hiatus u. Verschl." p. 201 sq.) remouit *oro* uocula addita:

Accedam. per ego [te] tua te genua <oro> obsecro.

Asyndeton sermonis cottidiani proprium fuisse uel inde concludere licet quod in epist. Ciceronis exempla exstant, Cic. Ep. ad Att. XI. 2. 3, ad Fam. VIII. 16. 1. Particula copulatiua semper fere additur apud Cic. aliosque scriptores. apud Plautum his ll.: Capt. 513:

. . . hic extemplo orat obsecratque Eum sibi ut liceat uidere.

Mil. 971:

Nunc te orare atque obsecrare iussit, ut . . . Cf Bacch. 909.

Ordo uerborum inuersus est Merc. 170:

Obsecro hercle oroque ut istuc quid sit actutum indices.

Cf etiam Aul. 715 sq.:

. . . obsecro uos ego, mi auxilio, Oro obtestor, sitis . . .

Bacch. 246:

Salue. sed ubinamst Mnesilochus? : : Uiuit, ualet.

Cf Preuss p. 98. Woelffl. Allitt. 15. 92. Lor. ad Mil. 1340. Eundem uersus exitum restituit Ritschl Bacch. 191:

Quia, si illa inuentast, quam ille amat, uiuit [recte et] ualet.

Sic etiam G.-S. Ceterorum conamina u. apud Goetzium in adn. crit[1].

Trin. 1075:

. . . liberi quid agunt mei Quos reliqui . . .? : : Uiuont, ualent.

Cf Andr. 889. Stich. 31. *Et* additur in clausula Trin. 996 . . . ego abeo. male uiue et uale Mil. 1340 . . . bene ualete et uiuite, Trin. 52 bene herclest illam tibi ualere et uiuere; ib. 773. Haut. 430 Ualet atque uiuit. — Trin. 243:

Ilico res foras labitur, liquitur.

Multi homines docti, quorum agmen ducit Fleck., Ann. Phil. t. CXI p. 539, *labitur* interpretamentum esse uocis *liquitur* sibi persuaserunt, cf Fest. p. 83 Th.: *liquitur: labitur. fluit.* Sed tradita lectio a sermone Plautino minime abhorret: constat enim Plautum duo uocabula, alterum ἅπαξ λεγόμενον uel certe insolitum, alterum magis notum haud raro composuisse,

[1] Cosh, qui nouissimus hanc fabulam commentario instruxit, non dubitat traditam lectionem retinere uersum hunc in modum metiens:

Quia, si illa ínuentast, quam ille amát, uiuit recte ét ualet. (!)

"*recte et ualet* are to be taken together. There is no obiection to the displacement of *et*, for we have only to open the Epodes of Horace to see numerous instances of it." Sed Horatianus sermo parui sane momenti est ad hanc rem illustrandam; debuit exempla ex fabulis adferre.

ut dictio uaria magis et copiosa euaderet; plerumque praemittitur uerbum uetus et uulgatum, adiungitur nouum: cf Leo, de fig. serm. II p. 30. Hoc quidem loco asyndeton illud ad habitum et colorem totius cantici optime quadrare uidetur.

Mil. 201 (cf Woelffl. l. l. p. 52):

Quem ad modum adstitit seuero fronte curans, cogitans.

Amph. 335:

. . . Timeo, totus torpeo.

Epid. 613:

. . . senserunt, sciunt Sibi data esse uerba. Cf Mil. 580.

Enn. Trag. 6:

Interea mortales inter sese pugnant proeliant.

Preuss p. 98 confert Lucr. II 118. IV 1009 proelia pugnas.

ib. 250:

Regnumque nostrum sospitent superstitent.

Codd. *superstitentque;* asyndeton tutatur Mueller ad Lucil. III. 2.

Non allitteratione solum, sed etiam similitudine praepositionis continentur uerba Epid. 118:

Quin edepol egomet clamore differor, difflagitor.

Sic Skutsch, De nom. lat. suffixi *-no-* ope form. p. 10 coll. Curc. 683. Pseud. 556; codd. *diffatigor,* cf Neumann, De comp. a *dis-* incip. ui et usu p. 7. 31.

Merc. 192:

Armamentis complicandis, [et] componendis studuimus.

et del. Cam.; cf Leo "Forsch." p. 298 sq.

Cf Andr. 897:

Tibi pater me dedo: quiduis oneris impone, impera.

Ab eisdem praepositionibus incipiunt uerba etiam his ll.:

Truc. 884:

Illequidem, hinc abiit, abscessit. dicere hic quiduis licet.

Men. 342:

Postilla extemplo se adplicant, adglutinant.

Asin. 259:

Inpetritum, inauguratumst: quouis admittunt aues.

Bacch. 633:

Reppuli reieci hominem.

Truc. 566:

Haec quom uideo fieri, suffuror, suppilo.

Enn. Trag. 105:

. . . alia fluctus differt dissupat Uisceratim membra . . .

Naeu. Com. 57:

Saxa siluas lapides montes disicis dispulueras.

Afran. 42:

Quos inpune depopulatur despoliatur dedecus.

Praeterea haec licet adferre exempla:

Cas. 266:

Tu ecastor tibi, homo, malam rem quaeris: subolet, sentio.

Cf Trin. 698; *et* additur u. 615 sentio et subolet mihi.

Mil. 1232:

Ille illas spernit segregat ab se omnis extra te unam.

Cf Lor. ad h. l., Bx ad Capt. 517, ubi copulata inuenimus . . . a me segregant spernuntque se.

Asin. 246:

Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum uidero.

Amph. 651:

. . . patria et prognati Tutantur seruantur.

Trin. 285:

Turbant, miscent mores mali . . .

Cf Cic. de harusp. resp. 46 miscet ac turbat, Uerr. II. 123 non modo illa . . . permiscuit, sed etiam . . . turbauit.

Bacch. 931 (h. u. multi spurium esse censent):

Cepi, expugnaui amanti erili filio aurum ab suo patre.

Trin. 1005:

Nisi qui illud tractat aut mouet, mutu<m>s<t>, tacet.

Sic omnes fere edd. Pareo duce. Seyffert (cf praef. ed. min. p. VIII) cum FZ *mutum tacet* coll. Epid. 651 Quod bonist id tacitus taceas, Poen. 906 Tacitus tace modo, sim., cf Landgraf, De fig. etym. p. 61. Gehlhardt, De aduerb. ad not. aug. usurp. p. 45. Sed nihil impedit, nisi omnia me fallunt, quominus *mutus tacet* pro *mutumst tacet* scriptum esse putemus: *t* littera a librario praetermissa esse potest per haplographiam quam uocant, cuius uitii ubique exstant exempla: ante *st* autem *m* littera permultis locis omissa est et in Ambrosiano (cf Ind. Apogr. Stud. p. 513) et in P (cf Amph. 538. Mil. 1024: Trin. 1043 1045 B, ubi ceteri codd. *umst* praebent.)

Cas. 828:

Id quaerunt nolunt, haec ut infecta faciant.

Merc. 725:

Non possum: ita instas, urges quasi pro noxio.

Sic Lange, Ann. Phil. CXLVII p. 195; edd. post *instas* interpungere solent.

Pers. 782:

Uehiclum argenti miser eieci, amisi neque quam ob rem eieci habeo.

Sic codd., G.-S., Uss. *amisi* pro gloss. del. Acid., Leo, Schoell, cf adn. crit.; quod ut prudenter fecerint, uereor, nam asyndeton a Plautino usu nullo modo abhorret et ad lenonis magnam animi commotionem (cf uu. 778. 780. 783.) exprimendam aptissimum est.

Cist. 84:

Obsecutast, gessit morem oranti morigere mihi.

Mil. 707:

Mea bona mea morte cognatis didam, inter eos partiam.

Merc. 633 sq.:

. . . Quid tu faceres? men rogas? requireres, Rogitares, quis . . .

ib. 117:

Currenti, properanti haud quisquam dignum habet decedere,

cui uersui G.-S. crucem adfixerunt fortasse eam ob causam, quod troch. sept. iambicis octonariis interponitur, cf Leo, "Die plaut. Cant." p. 86; de asyndeto cf locos, ubi *propera* imper. cum uerbis mouendi componitur, u. infra.

Aul. 318:

Infit ibi postulare, plorans eiulans.

Asin. 169:

Quid modist ductando, amando? numquamne expleri potes?

Merc. 55:

Trahere exhaurire me quod quirem ab se domo.

Ritschl *quod exhaurire quirem* coniunxit, cf tamen Uss. ad l

Bacch. 259 sq.:

Primumdum infitias ire coepit filio Negare se debere . . .

Eun. 73, cf Preuss p. 105:

. . . et prudens sciens Uiuos uidensque pereo . . .

Don. h. l., ut saepe, artificiosis definitionibus synonyma illa distinguere conatur.

Andr. 248 Pamphilus dolorem et indignationem duplici asyndeto effundit:

Quot modis contemptus, spretus! facta, transacta omnia! hem.

Ad. 668 sq.:

Quom hanc sibi uidebit praesens praesenti eripi,
Abduci ab oculis.

De imperatiuis cf Lor. ad Mil. 256. Ad exempla l. l. adlata (Asin. 102. Pers. 148. Men. 352. Merc. 111.) haec addo: Pers. 606:

Percontare, exquire quiduis.

Epid. 696:

. . . age nunciam ex me exquire, rogita quod lubet.

Most. 793:

Quid nunc? : : Uise, specta tuo usque arbitratu.

Truc. 676:

Dic inpera mihi, quid lubet quo uis modo?

Cf Aul. 193:

Dabitur: adiuuabere a me: dic, siquid opust, impera.

Cist. 722 legimus:

Nunc ad te redeo: siquid est opus, dic impetra et tu.

Seyffert de . . . *opus, dic impera : : Et tu* cogitat, cf praef. ed. min. p. VIII. Plura u. apud Schoellium in adn. crit.; Leo, qui uu. 708—22 uncis inclusit, coniecit: *dic, impetratumst.* Particula copulatiua occurrit Poen. 1040:

Et siquid opus est, quaeso, dic atque impera.

Men. 52:

Siquis . . . Uelit, audacter imperato et dicito.

Asin. 445:

Scyphos quos utendos dedi Philodamo, rettulitne?
: : Non etiam : : Hem non? si uelis, da, commoda homini amico.

Quem uersum uariis coniecturis temptarunt homines docti, cf praef. ed. min. p. IX; Lindskog, De enunt. ap. Pl. et Ter. cond. p. 113. Uss.: *si quid uelis dare, commoda* . . . Sed re diligentius considerata haud scio an liceat in codicum scriptura perstare. Nam asyndeton *da commoda,* quod Leo ad l. ineptum esse censet, mihi non intolerabilius uidetur quam ea, quae

uir doctissimus ad Trin. 1108 collegit; cf Pers. 320 credetur: commodabo. Neque sententia condicionalis se recte non habet, cf Seyffert, Ann. Burs. t. LXIII p. 27. adn.

In locutionibus quibusdam sollemnibus particula copulatiua semper additur, uelut Curc. 432:

Tecum oro et quaeso, qui has tabellas adferet Tibi, ut . . .

Rud. 629; et oro et quaeso Mil. 1228. Asin. 662 (= 686):

Hanc quoi daturu's hanc iube petere atque orare mecum.

Curc. 384 (= Pers. 118. 186):

Nil tu me saturum monueris: memini et scio.

Imperatiui *uale* et *salue* in inscriptionibus nonnumquam ἀσυνδέτως componuntur (cf C. I. L. I. 94. 1049; cf etiam Cic. ad Fam. XVI. 9), apud Plautum *atque* particula addita, Capt. 744:

Uale atque salue, etsi aliter ut dicam meres.

Cist. 116. Curc. 522. 588.

3. Uerba diuersae significationis.

A. Primum nonnulla exempla adferre liceat, ubi ipsa collocatione interior quaedam connexio inter uerba illa oritur.

Poen. 661:

Potare, amare uolt . . .

Cf Most. 36. Stich. 447. Merc. 553. Sall. Cat. 11. 6 insueuit exercitus amare potare, Jug. 85. 42 ament, potent.

Cist. 567:

Anus ei <quom> amplexast genua, plorans, obsecrans.

Afr. 171. — Bacch. 748:

Cedo tu ceram ac linum actutum. age obliga, obsigna cito.

Amph. 13:

Haec ut me uoltis adprobare, adnitier, . . . ut . . .

ubi infinitiui non ad idem obiectum spectant.

Phorm. 8:

Et eam plorare, orare, ut subueniat sibi.

Cf Hauler ad l., Woelfflin, A. L. L. I p. 386. — Afran. 246.

Eun. 117:

. . . coepit . . . omnia Docere educere ita uti si esset filia.

Cf Most. 186, p. 57; Andr. 274 doctum atque eductum.

Phorm. 236 A: (γδ *et*)

Inuitus feci; lex coegit? Audio, fateor: : Places.

Acc. Trag. 114:

Alui educaui: id facite gratum ut sit seni.

Iam ad eos locos pergamus, ubi

B. Uerba mouendi,

qualia sunt *ibo, i, abi* sim. cum aliis uerbis componuntur.

B. Dahl, "Die lat. Part. *ut*" p. 221 sq., docet poetas scaenicos uerba, quae motum significant, imprimis futura et imperatiuos uerbi, quod est *eo,* cum *ut* finali coniungere solere, uelut Capt. 919:

Adseruate istunc sultis, serui: ego ibo, ut conueniam senem.

Constat autem enuntiata, quae ratione finali continentur, non solum ita componi, ut altera per *ut* particulam alteri subiungatur, sed etiam paratacticam structuram, quam cottidiani sermonis propriam esse notum est, admittere uel addita particula copulatiua uel omissa: Men. 557:

Ibo et conueniam seruom, si potero, meum,

praesertim si ratione finali euanescente uerbum mouendi rem significat, quae actioni principali, ut ita dicam, adiuncta est. Quod imprimis de futuris *ibo* et imperatiuis *i, abi* sim. ualet. Cf Weissenhorn, Parat. Plaut. p. 13 sq.

a. Futura *ibo, adibo* sim. cum aliis futuris coniunguntur.

Ibo cum altero futuro componitur ἀσυνδέτως.

Bacch. 1060 Goetz sic edidit:

Ego ad forum autem hinc ibo, absoluam militem,

quod Abraham, "Berl. phil. Woch." VI p. 1123 sq., refutauit his uerbis: "v. 1060 ist es unplautinisch, die beiden Sätze, wie Goetz mit Fleckeisen thut, unverbunden neben einander zu stellen; entweder fügt Plautus zu *ibo* u. dgl. die Absicht hypotaktisch mit *ut* — und das ist das gewöhnliche — oder parataktisch mit *atque, et* hinzu." Qua quidem in re uirum doctissimum egregie fefellit opinio; nam permulta asyndeti exempla exstant neque structura hypotactica usitatior est[1].

[1] De Bacch. 1060 in App. uberius agam (codd.: *ut soluam militem*).

Men. 845:

Ibo, adducam qui hunc hinc tollant et domi deuinciant.

Poen. 794:

Nunc ibo, amicos consulam, quo me modo

Uix opus est omnia exempla exscribere; satis erit locos laudasse: Amph. 1007. Asin. 913. Aul. 263. 620. Bacch. 235. 366. Cist. 651. Epid. 319. Men. 672. Merc. 366. 665. Pers. 77. Poen. 123. 929. Pseud. 1245. Trin. 995.

Ibo ab altero futuro uersu seiungitur Trin. 727 sq.:

Ad forum ibo: nudius sextus quoi talèntum mutuom
Dedi reposcam, ut habeam . . .

Capt. 126 sq., Men. 1035 sq. — *Ibo* cum futuro exacto componitur Amph. 930:

. . . Si non iubes, Ibo egomet: comitem mihi Pudicitiam duxero.

Hunc u. uariis modis temptarunt homines docti, cum in correptione alterius syllabae uerbi, quod est *Pudicitiam*, offenderent; quae correptio non debet nobis scrupulum inicere. Cf Klotz, "Altröm. Metr." p. 89. Skutsch, "Iambenkürz. u. Syniz." p. 12. Esch, De corrept. uocab. polysyllab. p. 91. Fut. ex. persaepe futuri simplicis uice fungitur, imprimis in exitu uersus, et cum illo nonnumquam componitur, Capt. 315. Hec. 599; cf Bx ad Capt. 293 [1].

Ex fabulis Terentianis haec exempla adnotaui, Haut. 426:

Sed ipsum foras egressum uideo: ibo, adloquar [2].

Haut. 608:

Egone? ad Menedemum ibo, dicam hanc esse captam ex Caria.

[1] Cist. 659 sic exhibent codd.:

. . . occludite aedis pessulis, repagulis,
Ibo hanc ego tétulero intra límen. :: Abiit, ábstulit

hiatu inter *Ibo* et *hanc* admisso, de quo u. Maurenbrecher, "Hiatus u. Verschl." p. 196. Muelleri coniecturam satis, ut uidetur, audacem: *Quom extemplo hanc ego* . . . iusto audaciorem non esse ostendit Schoell in praef. Cist. p. XXVIII sq. Leo: *Ilico: hanc ego* . . .

[2] ϑ *adibo atque alloquar* (G: *alloquor*), quae locutio apud Ter. non inuenitur, apud Plaut. ter, Bacch. 978. Men. 277. 465. Cf Andr. 974 A *Conloquar*, codd. Call. *Adibo et conloquar*. Phorm. 739. *Adibo* solum ponitur eadem fere ratione qua *colloquar* l. l. Haut. 179. Eun. 650. 947. 1006. Phorm. 609. Hec. 429. 855. Ad. 460. Cf Sydow, De fide etc. p. 53.

Haut. 340. Ad. 719 (dicam). — Andr. 594:

Domum modo ibo, ut adparentur dicam, atque huc renuntio.

De permutatione temporum u. Persson' l. l. p. 62. — Haut 170:

. . . ibo uisam si domist. — Eun. 187[1].

Particula copulatiua additur.

Atque omnibus fere locis ad uersum constituendum necessarium est:

Poen. 447:

Ibo atque arcessam testis . . .

Aul. 817:

Igitur orabo ut manu me emittat: ibo atque eloquar.[2]

Ibo (uel *adibo)* post uocabulum similiter cadens omisit librarius Men. 808 (cf Lindsay l. l. p. 48; add. Camer.):

Iam ego ex hoc ut factumst scibo: <ibo> ad hominem
atque <ad> loquar.

Amph. 460. 1015. Aul. 659. Bacch. 507 (P, cf Lindsay l. l. p. 46). Capt. 192. Curc. 273. Men. 875. Merc. 797. Mil. 1085. Pseud. 764. 903. Stich. 143. 315. (u. p. 79 adn.) 440. 464. Truc. 313. — His duobus locis non prorsus necessaria esse uidetur particula:

Trin. 614:

Ibo ad meum castigatorem atque ab eo consilium petam.

ubi hiatus in caes. med. tollitur *atque* addito; cf Asin. 295.

Merc. 472:

Certumst, ibo ad medicum atque ibi me toxico morti dabo.

Hoc quidem loco uersus stare potest, si *atque* omittitur, sed *ibi* uocis posterior syllaba rarissime ictu percutitur (u. Leppermann, De corrept. uoc. iamb. p. 78; *ubĭ, ibĭ* correpta inuenit 329^{ies},

[1] Eun. 544 sq. in codd. Call. haec tradita sunt:

Nunc mi hoc negoti ceteri dedere, ut illum quaeram,
Ibo ad eum, uisam si domi est . . .

Sed Bembini scripturam:

Idque adeo uisam si domist . . .

elegantiorem esse et magis quadrare nemo non uidet, cf Sydow l. l. p. 39.

[2] Ex hoc uersu *atque eloquar* in exitum uersus antecedentis irrepsisse uidit Uss.; cf Lindsay "Introd." p. 34. Addo Curc. 571. Most. 295.

ubī, ibī 8ies). — Epid. 164 A, cf Seyffert, „Berl. phil. Woch.“ XVI p. 847. — Asin. 126 *ibo* excidisse Cam. suspicatus est:

<Nunc ibo> atque ibi manebo apud argentarium.

Uersum del. Bothe. — Alterum futurum in proximo uersu collocatur Cist. 629 sq. (cf Mil. 259 sq.):

. . . ibo domum Atque ad parentes re<d>ducam Selenium[1].

Exempla Terentiana haec sunt: Hec. 565:

Ibo intro atque edicam seruis . . .

Andr. 599. Eun. 216 (cf 187). Futura uersu seiunguntur Phorm. 312 sq. — *Ac* apud Plaut. non inueni; sed Ter., qui hanc particulam omnino frequentat, Ad. 510 scripsit:

Ibo ac requiram fratrem, ut in eum haec euomam[2].

Haut. 500 sq. et in A et in codd. Call. legimus:

Me cepere arbitrum: ibo ac dicam, ut dixeram
Operam daturum me, hodie non posse eis dare.

ac uncis quadratis inclus. Umpf., Wagner, alii; defendit Dz. in adn. crit. ad h. u. coll. Ad. 510, u. supra, sed illo loco uidetur *ac* addidisse poeta, ne posterior syllaba uerbi, quod est *ibo,* ictu percuteretur; de hac re u. infra. Neque dubium est, quin particula superuacanea sit, cum Ter. quater *dicam* ἀσυνδέτως addiderit: Haut. 608. 340. Ad. 719. Andr. 594; sed cauendum est, ne normis nimis seueris poetas constringamus, quos nonnumquam sine causa perspicua ab usu uulgari recessisse apparet. Cf etiam Andr. 599. — Phorm. 782:

Nisi prospicis. Nunc hinc domum ibo ac Phanium edocebo.

Pac. Trag. 187:

Ibo atque edicam frequentes ut eant gratatum hospiti.

Ibo et.

Stich. 400:

Ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus.

---

[1] B *reduco,* quod Schneider, De temporum ap. prisc. script. lat. usu p. 9, et Rodenbusch, De temporum usu Plaut. quaest. sel. p. 39, receperunt. Sed recte monuerunt Seyffert, Ann. Burs. t. LXIII p. 31, et Persson, Adn. Plaut. p. 63, in eiusmodi locutionibus Plautum semper duo futura componere, cf Stich. 315 A: Ibo atque hunc compellabo. P *compello*, cf Baier l. l. p. 17 sq. Amph. 1075, u. infra p. 80.

[2] CEF *et* praebent; sed *ibo et* nullo loco, quantum scio, omnium codd. consensu munitur.

ib. 682:

Nunc ibo hinc et amicos meos curabo hic aduenienteis.

Uidemus his locis *et* necessarium esse. Atque haud scio an nonnumquam particulam addiderit poeta, ne altera syllaba uocis *ibo* acueretur[1], uelut Poen. 739:

Ibo et pultabo ianuam . . .

Amph. 550. — Amph. 1075:

Ibo et cognoscam, quisquis est . . .

Sic libri (nisi quod B *cognosco* praebet, u. supra ad Cist. 629 sq.), Leo, Uss. — Palmer, G.-S., alii Acidalio duce *ut* scripserunt (cf etiam Dahl, Die lat. Part. *ut* p. 221). sed nihil est cur a traditis uerbis recedamus. Neque aliter temptauit Abraham, Stud. Plaut. p. 208, contra codicum consensum Men. 557:

Ibo et conueniam seruom si potero meum.

coll. Capt. 919 . . . ego ibo ut conueniam senem, Bacch. 348 At ego hinc ad illum ut conueniam quantum potest, ubi *ibo* post *hinc* addidit. Persuasit enim sibi uir doctissimus (cf „Berl. phil. Woch." VI p. 1124) *ut* finale saepius occurrere quam structuram paratacticam, quod non uerum est (u. infra in App.). neque debuit nimio ardore unius loci ad similitudinem duorum exemplorum corrigendi incensus uerba tradita temere mutare, cum utraque structura Plautina sit. Cf etiam Schoell in app. crit. ad h. l.

Apud Plautum *et* saepe additur, ubi neque metro neque alia perspicua causa coactus esse uidetur poeta particulam inserere, uelut Men. 700:

Ibo et consulam hanc rem amicos, quid faciendum censeant.

cf Poen. 794 Nunc ibo amîcos consulam . . ., u. supra p. 77.

---

[1] Dixerit quispiam in *ibó* offendendum non esse, cum Cist. 629. Men. 954. 1034. in exitu uersus legamus . . . ibó domum. Sed animaduertas uelim illo uersus loco talem ictuum dispositionem saepissime occurrere (cf Bacch. 571 immo ibó: mane, Merc. 558 ibó tamen.) Praeterea haud scio an in eiusmodi locutionibus *domum* encliticum sit, ut *ibó domum* quasi unum uerbum efficiat eo accentu, qui cum ictu prorsus conspiret. Ponitur plerumque in clausula uersus (cf Amph. 669 . . . commodum aduení —, Aul. 273 . . . a foro redeám —, Cas. 591 . . . rediít —, sim., sed etiam in medio uersu, uelut Amph. 195 Me a portu praemisít domum ut . . . Asin. 440. Cist. 102.

Cist. 531:

Sed tamen ibo et persequar * * *

cf u. 651 . . . ibo, persequar iam illum intro, ut . . . — Bacch. 871. Men. 331. Rud. 1263. Stich. 308. 567. Uidul. 56. Apud Ter. nulla exx. inueni; de Ad. 510 u. supra p. 79 adn.

Caec. Stat. 184:

Ibo ad forum et pauperii tutelam geram.

Quaestione de uerbo simplici absoluta de compositis aliisque uerbis pauca addam. Ac primum quidem monendum esse uidetur *abibo* perraro occurrere apud poetas scaenicos (de *abi* imperatiuo saepissime usurpato u. infra); Ad. 590 A δ *abibo* praebent, ceteri *adibo; adibo* saepius inuenitur quam *adi*. De structuris uerbi, quod est *adire,* egit Abraham, Stud. Plaut. p. 235.

Men. 360:

Nunc eum adibo: adloquar ultro.

Bacch. 978:

. . . adibo atque adloquar.

Men. 277. 465. (Haut. 426 δ, u. p. 77 adn.) Cf Men. 707. Poen. 982. Eun. 461. 557. (Ad. 590 sq.) *Et* legitur Bacch. 535 (omis. Abrah. l. l.), ubi futura idem fere significant: . . . adibo contra et contollam gradum. De Andr. 974 u. p. 77 adn. Eun. 922:

Post exibo atque hunc perterrebo sacrilegum.

Most. 1074:

Adgrediar hominem: appellabo . . .

Poen. 293:

Curram igitur aliquo ad piscinam aut ad lacum, limum petam.

Cf Epid. 364. Most. 931 sq. Pers. 182. Andr. 527 sq. — Fuerunt qui asyndeton constituerent Andr. 226 sq.:

. . . at ego hinc me ad forum (sc. conferam) ut
Conueniam Pamphilum . . .

ut particula deleta: Conradt, Herm. X p. 107, Dz., Fleck.; retinuerunt Umpf., Meissner, Spengel (u. adn. crit. ad l.); nihil est cur a tradita scriptura recedamus.

Most. 543:

Accedam atque adpellabo . . .

Amph. 515; cf Asin. 115. 245. Mil. 931. Eun. 206. Ad. 513.

b. Imperatiui *i, abi* sim. cum aliis imperatiuis coniunguntur[1].

De ratione, quae est inter structuras hypotacticam et paratacticam, p. 76 breuiter disserui. H. l. de imperatiuis pauca addere liceat, cum uiri docti rem, de qua agitur, non ea qua par erat diligentia tractasse uideantur.

Uelut E. Norden, Ann. Phil. Suppl. t. XVIII p. 269, quem locum laudat Hauler ad Phorm. 777, cum alia tum haec docet: "Si qua res fieri iubetur addito eundi uerbo, tantum non semper omittitur copula et apud imperatiuos et apud coniunctiuos adhortatiuos, . . ., contra interponitur copula (plerumque *et*), ut exprimatur "concessio dissimulationis et irrisionis plena" (Lamb. ad Hor. Ep. I. 6. 17) aut addito *nunc* (i nunc et . . .) aut omisso (cf Jahn ad Pers. 4. 19), cuius usus non suppetunt exempla aetate Ciceroniana antiquiora". His rationibus adductus uir ille doctissimus non dubitat de Uarr. Sat. Men. 278:

Ut eat ac rem publicam administret

hunc in modum iudicare: "Haec non esse uerba commendantis uitam in re publica administranda occupatam cum ex totius orationis colore tum ex rebus grammaticis concludi potest".

Emory B. Lease a formula *i nunc* proficiscens in eandem fere sententiam disputat: "It might indicate impatience or resignation, might spring from vexation or disgust, might give outlet to sarcasm or ridicule, might be used in a serio-comic sense, might even give vent to an outburst of anger . . . And is as much as the expression belongs to conversational language, one is struck with surprise that neither Plautus nor Terence uses it and that there are but very few examples in dramatic poetry".

Uereor tamen ut haec omnia recte disputata sint. Neque enim dubium uidetur, quin homines illi doctissimi originem et uim primigeniam illius formulae parum perspexerint. Apud

[1] Cf Fleckeisen, Ann. Phil. t. LXI p. 59. Ballas I p. 15 sq. Loch, "Zum Gebrauch des Imp. bei Plaut." p. 25 sq. Preuss p. 100 sq. Elmer "Am. Journ. of Phil." VIII. p. 314 sq. Lor. ad Mil. 521. Bx ad Men. 435. Mil. 521. Hauler ad Phorm. 777. Emory B. Lease, "*I nunc* and *i* with another Imperative", "Am. Journ. of Philol." XIX p. 59 sqq., cf Ziemer, "Wochenschr. f. Kl. Phil. XVI: p. 1064.

poetas scaenicos quidem imperatiui, qui sunt *i*, *abi* sim., si quis cum imperio amittitur, non minus quam futurum *ibo* motum significant, siue alter imperatiuus ἀσυνδέτως additur siue per particulas copulatiuas *et*, *atque* cum priore coniungitur. Sed uis illa primigenia progredientibus aetatibus haud raro debilitata est ita ut imperatiuus ille quasi particulae adhortantis munere fungeretur (cf age, ἄγε, ἴθι sim.), qua uis insequentis imperatiui intenderetur; cuius usus uestigia iam apud priscos scriptores deprehendere licet, cf Hauler ad Phorm. 994.

Quod etiam de *i nunc* formula ualet. Nam dissimulatio illa et acerba irrisio non imperatiui ipsius propria est, sed in habitu sermonis et quasi colore inest, cf Ziemer l. l. Occurrit autem *i nunc* plerumque in sententiis dehortatiuis, ut ita dicam, si quis ostendit rem fieri non posse uel debere: fit enim dissuasio illa addito *i (nunc)* multo uehementior[1]. Duobus exemplis rem illustrabo. Iuuenalis cum in sat. XII descripsit, quibus in periculis nautae uersentur aliique homines, qui auaritia occaecati uitam in discrimen committunt, hunc in modum pergit (u. 57 sqq.):

I nunc et uentis animam committe dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quattuor aut septem e. q. s.

Idem poeta, ubi in initio sat. VI monuit Pudicitiae ueteris nulla uestigia exstare neque sanum esse, qui de uxore ducenda cogitet, cum acerba ironia addit (u. 51 sq):

Necte coronam
Postibus et densos per limina tende corymbos.

Cf Friedlaender ad l. — Hoc quidem loco imperatiuus prorsus eadem ui praeditus est atque Sat. XII: 57, ubi *i nunc* ad uim alterius imperatiui intendendam additur. Quae cum ita sint non mirum uidetur quod formula illa apud comicos non occurrit. Lease l. l. p. 61 docet *abi nunc* bis inueniri apud Plautum, sed ordo inuersus est; legimus enim Bacch. 714 (cf. Asin. 367):

Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem atque ecfer cito

ubi *nunc* simili modo usurpatur atque in formula *nunc ibo*

---

[1] Quae consuetudo etiam patrio sermoni non deest; utimur autem etiam uerbo ueniendi: "kom nu och påstå att . . .", sim.

Men. 672. Pers. 77. Poen. 794 al. ll. Praeterea E. Norden l. l. falso contendit particulam copulatiuam semper addi in huiusmodi locutionibus; u. Friedlaender ad Iuu. Sat. VI: 306.

I uel *ei* uocula in Palatinis nonnumquam omissa est uelut Most. 774. Pseud. 326. 330. Truc. 197, ubi Ambrosianus imperatiuum illum seruauit; Stich. 150 A *i* omis. Nonnumquam *et* legitur (pro *ei*): Men. 435. 617. Mil. 812; cf Pseud. 349 A EI, C *et*, BD *i*. Palatini haud raro *i i* praebent (u. infra in App.)

De nonnullis locis breuiter agam. — Ambiguitatem sane iocosam et uere Plautinam (cf Lor. ad Mil. 286) inuenimus Pers. 574, ubi uestigia duplicis recensionis deprehendere licet (cf Seyffert, "Berl. phil. Woch." XVI p. 285). Uerisimile est in altera recensione olim scriptum fuisse:

I sis in malum cruciatum : : I tu — hanc eme: ausculta mihi;

in altera:

I in malum cruciatum : : I sane — eme hanc atque ausculta mihi.

Hanc lectionem Palatini praebent, sed uerum ordinem solus T seruauit (BCD . . . hanc eme atque . . .), illam Ambrosianus *sane* ἀμέτρως addito. Editores duas illas recensiones uariis modis confuderunt; equidem Ambrosiani scripturam (*sane* omisso) duabus maxime de causis recipiendam esse censeo (Baier, 'De Plaut. fabb. rec.' h. l. non tractauit), primum quod *sis* minime abiciendum esse uidetur (cf Leo ad l.), cum ad u. 572 . . . ne sis ferro parseris . . . optime respondeat, tum quod Plautus *ausculta* cum aliis imperatiuis dissolute componere solet (Most. 585. 634. Bacch. 855. Stich. 602. cf Mil. 805 sq.; *ac* legitur in formula *ac suspende te* Poen. 311 u. p. 88.)

Mil. 182:

I sis, iube transire huc quantum possit, se ut uideant domi.

P: *sis iube;* A: ISTISIUBE; Rbk, Lor., Goetz *Si istist, iube,* cf u. 255. 1089. Sed altera emendandi ratio facilitate praestat, cum *i* haud raro praeterierint librarii (u. supra) et ISTIS pro ISEIS scriptum esse uerisimile sit, (cf Stud. Ind. Apogr. p. 521.) — *I* uocula etiam his ll. excidisse uidetur: Amph. 770 (Alcumena loquitur):

Fiat. <i> tu, Thessala, intus pateram proferto foras.

Add. Acid., qui etiam de *heus* cogitauit; sed *heus* particula, si Richtero (De usu part. exclam., Stud. Stud. I p. 576) credere licet,

a feminis non usurpatur (quod Seyffert, Ann. Burs. t. LXXX p. 315, casui tribuendum esse censet).

Most. 377:

<I>, iube abire rursum: quid illi reditio huc etiam fuit?

Sic Seyffert adprobante Skutschio, "Berl. phil. Woch." XIV p. 138; ceterorum conamina inuenies ap. Schoellium in adn. crit.

Most. 794 Ritschl cum Weisio sic constituit, quo bacch. tetram. fieret (sic etiam Leo, "Die plaut. Cant." p. 95):

Age <i>, duc<e> me : : Num moror? : : Subsequor te.

Duobus locis *atque* additum est, ubi uersus particulam illam non patitur, Capt. 658:

Ite istinc, [atque] ecferte lora : : Num lignatum mittimur?

atque praeter Uss. nemo tolerauit. — Poen. 1116:

Sed i, [atque] euoca illam. si eae meae sunt filiae,

Klotz "Metr." p. 81 codicum scripturam defendit non dubitans quin *atque* uel cum duplici elisione corripi possit; etiam Leo in ed. sua particulam inuiolatam reliquit. Sed exempla, quae Leo in adn. ad l. l. adscripta in comparationem uocauit, nihil ualent ad rem illustrandam; cf etiam Skutsch, "Forsch." I p. 151 sq.; Seyffert, Ann. Burs. t. LXXX p. 263. "Berl. phil. Woch." XVI p. 847. Spengel ad Andr. 277.

Et legitur his ll.: Mil. 521:

. . . Uise ad me intro: iam scies.
: : Licetne? : : Quin te iubeo: ei, placide noscita.

Sic omnes fere edd. praeter Uss. et Leonem, qui *et* seruarunt; sed Men. 617, qui locus simillimus est, Gruteri emendationem *ei* amplexi sunt:

Quo ego redeam? : : Equidem ad phrygionem censeo: ei pallam refer.

Utraque scriptura habet, quo se commendet; sed Mil. 812, ubi Palaestrio et Pleusicles hunc in modum inter se collocuntur:

Pa. . . . interea tace Ut, quom . . ., partis defendas tuas.
Pl. Eo ego intro igitur. Pa. Ei, praecepta sobrie adcures face.

uerisimillimum est Plautum *ei* scripsisse, cum *eo* et *i* in huiusmodi colloquiis inter se respondere soleant (cf Seyffert, Stud. Plaut. p. 21), siue imperatiuus antecedit (cf Aul. 103) siue ordo inuersus est (Pers. 198); u. infra in App. Leo, Uss.: *et*.

Aul. 458:

Lege agito mecum: molestus ne sis: ei, cenam coque.

Sic Brix Ann. Phil. t. XCI p. 59; *et* DJ, *i et* B, quod Uss. et Leo non debuerunt recipere, u. infra p. 89.

Nonnumquam fit, ut imperatiui praesentis et futuri componantur (cf Loch, "Zum Gebr. des Imp. bei Plaut." p. 7), uelut Stich. 150:

Eho Crocotium, i, parasitum Gelasimum huc arcessito.

Cf Amph. 770 (u. supra). Cas. 756. Merc. 787. Stich. 477 sq.

Exempla, quae nihil fere praebent memoratu digni, hic in unum colligere liceat:

Asin. 382. Aul. 767. 768 [1]. 800. Bacch. 901. 1059. Capt. 184 (cf v. Wyss, "Die Sprüchw. bei den röm. Kom." p. 87). 950. Cist. 284. Epid. 305. Men. 435. 736. 952. Mil. 1301 sqq. (cf Seyffert, Stud. Plaut. p. 20.) Most. 682. 774. Pers. 487. Poen. 424. 1319 sq. Pseud. 326. 330. 349. Rud. 567. 657. 798. Stich. 396. 683. Truc. 197.

I cum uerbis mouendi componitur Cist. 286 I, curre equm adfer. Mil. 1361 I, sequere illos: ne morere. Most. 74 Molestus ne sis nunciam: i, rus te amoue. Sic interpungendum esse docet Gimm, De adi. Plaut. p. 27 [2].

Lease l. l. p. 62 negat huius structurae exempla apud Terentium occurrere neque codices, quantum uidi, *i* cum altero imperatiuo dissolute compositum praebent. Sed Eun. 624, qui locus in omnibus libris syllaba breuior traditus est quam ceteri uersus:

Uoluit facere contra huic aegre: 'heus', inquit, 'puer Pamphilam
Accerse ut delectet hic nos'. illa [exclamat]: 'minume gentium!'

Bentley restituit <*i*> litterula post *puer* inserta. Umpf., Dz., Fabia, Ferger, De Uocatiui usu Plaut. p. 9, alii Erasmo praeeunte *puere* forma h. u. et Hec. 719 sanare uoluerunt. Quod ut prudenter fecerint uereor, nam *puere* a sermone Terentiano

[1] Aul. 768 . . . i uero, refer. Langen, "Beitr." p. 113 docet *uero* aduerbium imperatiuis aliquoties adiungi; in transitu haec adnotaui exempla: Amph. 946. Bacch. 1062. Cas. 727. Epid. 3. 723. Pers. 692. 825. Stich. 186. Truc. 209.

[2] Leonis emendandi rationem Epid. 164

I abi intro atque adulescenti dic iam nostro erili filio

(*i i abi* P *ibo* . . . *dicam* A) impugnauit Seyffert, "Berl. phil. Woch." XVI p. 847, iure optimo contendens locutionem *i abi* ab usu Plautino abhorrere.

alienum esse constat (cf Engelbrecht, Stud. Terent. p. 17; "Berl. phil. Woch." V p. 331), neque forma illa Plautina in codd. Ter. inuenitur. Facillime autem excidere potuit *i* uocula, cf u. gr. Eun. 715 *I intro nunciam*, ubi *i* omis. D¹GP. Accedit, quod *puer i* magis congruere uidetur cum consuetudine Terentiana quam *puere*, cum anapaesti in sexto pede troch. sept. frequenter occurrant, tribreues ⏑ ⏑ ⏑ rarissime inueniantur, cf Podiaski, "Die trochäischen Septenare des Terenz" p. 23 sq. ("Änderungen beim Tribrachys im sechsten Fusse können durch die geringe Zahl der Beispiele ebensowenig begründet werden wie beim Trochäus").

Ex fragmentis unum ex. adfert Lease l. l., Enn. 369 Baer. (= 393 Rbk, 394 M.) qui locus incertus est. Omisit Caec. Stat. 100:

Age age, i puere, duc me ad patrios fines decoratum opipare [1].

I atque.

Ex adnotatione Schmalziana (Synt.³ p. 339. adn. 1): "... Verknüpfung durch *et*, wofür Plaut. und Ter. nach Komposita von *ire* auch *atque* gebrauchen" forsitan quispiam concludat *i* cum altero imperatiuo particulis non coniungi. Sed haud ita pauca exempla exstant.

Cas. 587:

I tu atque arcesse illam: ego intus quod factost opus

Most. 807:

... Immo commodum. i intro atque inspice.

Cf. Bacch. 1175. Merc. 277 sq. His ll. uersus ruit particula copulatiua sublata; sed Stich. 435:

Age abduce hasce intro. hunc tibi dedo diem

Abraham, "Woch. f. kl. Phil." II. p. 451 sine iusta causa *i atque* addere uoluit: "vielleicht ist nicht unplautinisch:

Age i atque abduce hasce intro. hunc tibi dedo diem".

Atque in libris traditur etiam Capt. 658. Poen. 1116, ubi metro respuitur, u. supra p. 85.

[1] Constat interrogationes uim imperatiui saepe induere, praesertim si per particulas *quin, etiam, -ne, non* proferuntur, cf Loch l. l. p. 23 sq. Inc. Inc. Trag. 34:

Itis. paratis arma quam primum uiri?

Ac ter inueni, Pers. 605:

Iubedum ea hoc accedat ad me :: I sane ac morem illi gere.

Truc. 329:

Sed obsecro hercle, Astaphium, <tu i> intro ac nuntia.

Suppl. Muell. "Pros." p. 524; cf Herm. t. XXXIV (a. 1899) p. 323.

Capt. 636 (*i* add Gulielm.):

Quin quiescis? <i> dierectum, cor meum ac suspende te[1].

I atque semel occurrit apud Ter., Hec. 787 (omis. Lease):

Ob eam rem uin ergo intro eam? :: I atque exple animum eis,
coge ut credant.

ubi edd. (Umpf. Wagn. Fleck. Dz. Thomas) *atque* delerunt Brixio obtemperantes (progr. Liegnitz. a. 1857 p. 9)[2].

---

[1] In hac formula *ac* sollemne est, cf Abraham, "Woch. f. Klass. Phil." II p. 452 sq.

Poen. 309:

. . . abi domum ac suspende te; cf Andr. 255.

ib. 311:

. . . ausculta mihi modo ac suspende te; sic P: A: *et.*

Bacch. 903:

. . . exige ac suspende te.

Pers. 815:

Restim tu tibi cape crassam ac suspende te.

Sic libri et Leo; Ritschl, quem edd. sequi solent, uerba transposuit *te suspende,* quo bacch. tetr. fieret.

Poen. 396:

Capias restim ac te suspendas . . .

Sed Rud. 1189 *et* usus est poeta:

Quid meliust quam ut hinc intro abeam et me suspendam clanculum.

Cf u. 1188 *argenti et auri* pro *auri atque argenti,* u. supra p. 25.

[2] Codd. scripturam tutatus est Sydow, De fide libr. Ter. p. 17, duplicem elisionem ante uocem *atque* fieri contendens; cum loco nostro confert Men. 405:

Iam, amabo, desiste ludos facere atque i hac mecum simul.

Sed nihil impedit, nisi omnia me fallunt, quominus Hec. 787 sic scandamus:

Ob eám | rem uín | erg(o) íntr(o) | ĕ(am) :: ĭ́ ắtqu(e) | ēxpl(e) || ắnĭm(um)
eis, cóg(e) | ut cré|dant.

hiatu prosodiaco, quem uocant, inter *i* et *atque* admisso, quo *i* uocula "breuis breuians" fit; ante caesuram trochaicam (cf Klotz, "Metr." p. 211 sq.) pes quartus non solum e iambo formatus est, sed etiam e spondeo (Hec. 834) uel anapaesto (Eun. 603) uel tribracho (Eun. 604). Eodem fere modo licet Men. 405 metiri: . . . fácer(e) atqu(e) ĭ́ hăc mĕcúm . . .

Acc. Trag. 508 (omis. Lease):

Uos ite actutum atque opere magno edicite.

Quin is? sensu idem est atque *i:* Most. 815:

Quid nunc?:: Quin tu is intro atque otiose perspecta, ut lubet[1].

Epid. 303:

Quin tu is intro atque huic argentum promis? . . .

Cf Rud. 122:

Quin tu in paludem is exicasque harundinem?

I et

non occurrit nisi ubi particula omitti non potest, uelut Amph. 971:

I sane et quantum potes parata fac sint omnia

ubi poeta lege dipodica coactus est *et* addere[2].

Cf Hec. 611 (omis. Lease)

Spero mecastor:: I ergo intro et compone quae tecum simul.

Merc. 282, ubi finalis ratio non exstat:

Ei et hoc memento dicere:: Numquid amplius?

ubi homines docti uaria temptarunt, ut anapaestum uitiosum tollerent: Sonnenschein, Transact. of the Amer. philol. assoc. a. 1893 p. 14 Skutschium secutus de *dicer'* cogitauit.

Praeter hos quos modo laudaui locos nullum inueni, ubi *i et* omnium codicum fide munitum sit. Ritschl quidem non semel *i et* scripsit, uelut Mil. 521. 812 al. ll. improbante Fleckeiseno Ann. Phil. t. LXI p. 18. Neque dubium uidetur quin Uss. et Leo Ueteris auctoritati nimium tribuerint Aul. 458:

Lege agito mecum, molestus ne sis: i et cenam coque,

ubi DJ *et* praebent; ceteri editores Brixii mutationem lenissimam *ei, cenam coque* receperunt, u. supra. — Aul. 263 Leo exitum uersus hunc in modum restituit:

Ibo igitur, parabo. numquid me uis?:: Istuc ei et uale

(cf Muell. "Pros." p. 550 adn.) quod uix probari potest (B² *uis me*), u. infra in App. — Truc. 330 Guyet *i propere et suade* proposuit; de h. l. cf Mueller Herm. t. XXXIV (a. 1899) p. 323.

---

[1] Fuerunt, qui in compositione praesentis *is* et imperatiui *perspecta* offenderent, cf Schoell in adn. crit.; u. etiam Persson Adn. Plaut. p. 98. Lor. ad. h. l.

[2] *Ac* ante q non ponitur; cf Seyffert, Philol. t. XXV p. 453.

Abi cum altero imperatiuo ἀσυνδέτως componitur:

Amph. 1126:

Abi domum, iube uasa pura actutum adornari mihi.

Cist. 502 P:

Abi, quaere, ubi iuri iurando tuo sit satias subsidi.

A *Alibi quaere . . . iuris — di tui . . .* P *satis sit.* Cf Brix, Ann. Phil. t. CXXXI p. 208. Amph. 353. Aul. 89. Curc. 255. Mil. 463. Most. 929. Pers. 667, cf Schoell in app. crit.; Poen. 1406. Uersus exitu seiunguntur imperatiui Mil. 535 sq. 928 sq. Rud. 855 sq. Stich. 264 sq. Trin. 577 sq. *Abi* cum uerbo mouendi coniungitur Men. 1017:

. . . Agite abite: fugite hinc in malam crucem.

De Cas. 214 Intro abi adpropera, u. infra. Lease, qui sex tantum exempla collegit, addit Pers. 490:

Abi, ne iura: satis credo,

ubi imperatiuus ille ui propria amissa quasi particulae uice fungitur, u. Langen, "Die Metapher", Ann. Phil. t. CXXV p. 675.

Phorm. 712:

Pater exit: abi, dic esse argentum Phaedriae,

ib. 445:

Abi, uise redieritne iam an non domum.

Haut. 804. Eun. 538. 753. Phorm. 777. 994. Hec. 726. Ad. 703 sq. Tres imperatiui: Andr. 523. 978 sq. Phorm. 309. Hec. 557.

Eun. 499 in omnibus libris sic traditur:

Gn. Sed Thais exit. Thr. Abi prae, curre ut sint domi
Parata. Gn. Fiat.

Omnes uiri docti, quorum editiones mihi praesto fuerunt, Palmerii emendationem *cura* receperunt. Concedo mutationem lenissimam esse et optimum sensum praebere: neque tamen mihi persuadere potui prorsus necesse esse codicum consensum, qui etiam Donati testimonio confirmatur, spernere. Cf Cist. 286 I, curre equum adfer. Mil. 1361 i, sequere illos. De sententia finali conferre licet Ad. 706 Ego eo intro ut quae opus sunt parentur . . . Men. 954 sq. . . . ibo domum Ut parentur quibus paratis opus est . . . Amph. 970. Aul. 278 [1].

[1] Uideo etiam Ribbeckium in ed. com. fragm. p. LXVIII traditam scripturam retinere.

Ex fragmentis scaenicae poesis Lease nullum ex. adnotauit; cf Afran. 137:

Abi tu: appellant huc ad molem nostram nauiculam ⏑ —

ubi Buech. de <iube> cogitauit; sed obuiam alia quoque sunt.

Abi atque

usurpari solet, ubi metri ratio particulam illam flagitat, uelut Cas. 419:

Intro abi, uxor, atque adorna nuptias . . .

Satis erit locos enumerare: Bacch. 714. Cas. 295. 491 (abi atque obsona, propera). Cist. 287. Epid. 604. Men. 220. Mil. 1195. Most. 294. 391. Pseud. 168 (cf praef. ed. min. p. V). — *Ac:* Poen. 309. Epid. 655.

Most. 425 iusto longior est:

Clauim cedo atque abi hinc intro atque occlude ostium.

Uerisimile est *hinc* spurium esse (fieri potest, ut e proximo uersu irrepserit; cf Schoell in adn. crit.); Lor. et Uss. *atque* del.

Cas. 229 in libris sic traditur:

Uxor mea meaque amoenitas, quid tu agis? : : Abi atque abstine manum.

Quem uersum, cum metrum claudicare uideretur, uariis coniecturis temptarunt uiri docti exceptis Uss. et Leone, u. Schoell in adn. crit. Klotz "Metr." p. 63 (cf etiam Spengel "Reformvorschl." p. 307) nihil mutandum esse censet, cum ultima syllaba *ābstĭ́nĕ* nota lege corripiatur. Seyffert autem, qui Stud. Plaut. p. 9 sq. h. u. transpositione uerborum sanandum esse censuit: *Manum abi atque abstine,* Ann. Burs. t. LXXX p. 262 negat correptionem, qua uoces trisyllabae, quae creticum aequare solent, mensuram dactylicam admittunt, in uersibus iamb. nisi in primo uel quinto pede occurrere. Equidem de loco a uiris illis doctissimis tractato nihil pro certo adfirmare ausim; hoc tamen moneo, locorum, quibus nisus Seyffert l. l. uerba transposuit (Aul. 270 uascula intus pure propera atque elue, Ad. 917 Tu illas abi et traduce) aliam esse rationem; hoc loco ὕστερον πρότερον quoddam agnosco; u. infra p. 93.

Eun. 763:

Tu abi atque obsera ostium intus, dum ego . . .

Haut. 618. Ad. 351. Andr. exit. supp. 11. *Ac:* Andr. 255. Hec. 314. Ad. 167. 699.

Caec. Stat. 178:

Abi intro atque istaec aúfer, si tamen . . .

Constat interrogationem nonnumquam imperatiui munere fungi, quo in genere imprimis frequens est *abis? abin?* Cfr Loch l. l. p. 24. Per *atque* adiungitur altera sententia Pers. 671:

. . . abisne atque argentum petis?

Abi et

multo saepius occurrit quam *i et,* cf Loch l. l. p. 25*). Cas. 718:

Eo nunciam, nisi quippiam remorare me. : : Abi et cura.

His ll. fortasse *et* additum est, ne posterior syllaba *abi* uocis acueretur (*abí* nisi in exitu uersus raro occurrit): Bacch. 592. Cas. 421. Pseud. 890. Praeterea haec adnotaui exempla: Asin. 367. Cas. 613. Mil. 255. 394. Pers. 165. Stich. 533. Phorm. 563 sq. Ad. 917 (*ĕ ac*).

Uidemus igitur Plautum et Terentium inter se ita differre, ut ille imperatiuum uerbi simplicis *eo* cum aliis imperatiuis ἀσυνδέτως componere soleat, hic *abi* semper fere adhibeat. Si particula additur (*atque, et*), etiam Plautus imperatiuum compositum alteri praefert.

Lorenz ad Mil. 521 docet fieri posse, ut *abi* post imperatiuum, ad quem pertinet, collocetur. Sed Aul. 329 sq., quem locum exempli causa profert, ad rem illustrandam nihil ualet. Legimus enim

⏑ — ⏑ — ⏑ — : : Licet : : Tu, Congrio,
⏑ — ⏑ — ⏑ — eum sume atque abi
⏑ — intro illuc et uos illum sequimini [1].

Hoc quidem loco ordo uerborum nihil offensionis habet. Cf Cist. 770. Truc. 477. Sed Mil. 302 ὕστερον πρότερον figurae luculentum exemplum exstat:

Uisse, abi intro tute: nam ego mi iam nil credi postulo.

[1] Trium uersuum reliquias esse indicauit Seyffert, "Berl. phil. Woch." X p. 309. Lacunas ad hoc exemplum expleuit Leo in ed. sua: <Cape atque abi intro ad nos> <Quem illic reliquit agnum> <Etiam tu>.

Cf Andr. 254 sq.:

... 'uxor tibi ducendast, Pamphile, hodie', inquit, 'para,
Abi domum' ...

ubi uix necesse est cum Spengelio in fine uersus plene interpungere. — Capt. 110 sqq. Hegio domo progressus, ubi captiui in custodia tenentur, seruum iubet duobus illis catenas singularias inicere; u. 125 hunc in modum perorat:

Sed satis uerborumst: cura quae iussi atque abi.

De Cas. 229 u. p. 91. Cf etiam Most. 294. 391.

Difficilius est diiudicare, num Plautus eadem libertate usus sit in *i* uocula collocanda. Men. 224 legimus in P:

Elocuta sum conuiuas: ceterum cura<::> Licet

nisi quod B¹CD *curaticet* praebent (*cura licet* B²); pers. notam add. Cam. A *curarilicet,* quo duce Seyffert *cura, i ::* proposuit recte improbantibus G.-S. in praef. ed. min. p. VI sq. Cf etiam Truc. 583. Cyamo et comites eius Phronesio dona ferunt; ille salutatione facta et reddita pergit (u. 579 sq.): 'erus ferre me haec iussit tibi dona, quae uides illos ferre, et has quinque minas'. Respondet illa u. 583:

Grata acceptaque ecastor habeo. iube <uasa> auferri intro, i Cyame.

Sic Leo; *ichiame* codd [1].

---

[1] Woelfflin, "Münch. Sitzungsber." a. 1890 p. 304 monet ὕστερον πρότερον figuram apud priscos scriptores latinos haudquaquam inusitatam esse. Quod etiam de Plauto ualet. Uelut legimus Pseud. 283, ubi Pseudolus promittit Calidorum lenoni argentum pro amica breui daturum:

At dabit, parabit: aliquot hos dies manta modo.

Cf Merc. 493:

(... argentum ...) Inuenietur, exquiretur, aliquid fiet ...

Rud. 1031:

Ut abeas, rudentem amittas, mihi molestus ne sies. Cf Epid. 513. Quae cum ita sint, non mutandus est Mil. 773, quem uersum una cum praecedentibus hic adscribam (Palaestrio et Periplecomenus inter se collocuntur):

Pa. Ut hic eam abducat abeatque. Pe. Dari istanc rationem uolo.
Pa. At ego mihi anulum dari istunc tuom uolo. Pe. Quam ad rem usuist?
Pa. Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo.
Pe. Utere, accipe. Pa. Accipe a me rusum rationem doli Quam institui.

Fleckeisen transpositionem *accipe, utere* necessariam esse nuper (cf Ann. Phil. t. CLV p. 405 sq.) contendit ("denn das *accipere* geht doch unter allen Umständen dem *uti* voraus"). Sed ex exemplis quae in transitu adnotaui — quin compluribus aliis augeri possint non dubito — apparet ὕστε-

De aliis compositis pauca addam. *Adi atque* (asyndeton non inueni) legitur Asin. 722. Capt. 540. Pers. 600. Poen. 992. *Exi,* Epid. 660 (cf Leo ad l., Seyffert, "Berl. phil. Woch." XVI p. 849). Merc. 911, cf fragm. inc. fab. 31; Rud. 481:

Heus exi, Ptolemocratia, cape hanc urnam tibi.

Sic Seyffert, Stud. Plaut. p. 21; *Eu si* B, *heus si* (sic cum sp.) CD; *heus aga si* T, cf Lindsay, "The Class. Rev." XI p. 248; Mueller, Mus. Rhen. t. LIV p. 599. *Atque* Mil. 1338. Pers. 459; *et* fragm. inc. fab. 35. *Prodi atque* Aul. 350. *Redi atque* Aul. 81. Rud. 858; *et* Curc. 113 a. Pseud. 244, *Transi atque* Phorm. 921. — *Curre:* Asin. 740. Mil. 1332; Haut. 733 sq. Hec. 719 sq. 808 sq. Afr. 175. — Pac. Trag. 47.

Preuss p. 100 sqq. (cf etiam Lor. ad Mil. 521) contendit poetas scaenicos semper fere duos imperatiuos dissolute componere, si alter alterum subsequitur nulla uoce intercedente; quattuor tantum exempla Plautina inuenit quae legi illi repugnant: Bacch. 592 abi et renuntia, Mil. 1338 exite atque ecferte, Rud. 858 redito atque agitato, Men. 273 cape atque serua. Immo res ita se habet: si imperatiui ἀσυνδέτως ponuntur, nihil refert, utrum alter alterum excipiat an interpositis uocabulis dirimantur; si coniunctio additur, inter imperatiuos alia uerba collocari solent, sed etiam alterius structurae multa exempla inueniuntur. Uelut cf Capt.* 540. Cas. 229. 718. Curc. 113 a. Pers. 459. Poen. 992. Pseud. 244. Cf p. 102.

ρον πρότερον a sermone Plautino non alienum esse. Confirmatur autem traditus ordo multis aliis locis, ubi Plautus, qua est figurati sermonis adfluentia, uocabuli unius formas uel unius stirpis uocabula cumulat, ut aures mentemue illiciat et mulceat. Uelut cf Bacch. 554 sq.:

. . . tecum orarem ut ei quod posses mali Facere faceres.

Men. 112 sq.:

. . . si mihi tale post hunc diem Faxis, faxo foris uidua uisas patrem.

Most. 162 sq.

. . . mihi quae modestiam omnem Detexit tectus qua fui . .

Cf Lor. in praef. Pseud. p. 40. Appuhn, Quaest. Plaut. p. 18 sq. Quod eo uerisimilius est, quod poeta etiam in ceteris uersibus uerbis lusit: *dari, rationem,* cf Lor. ad l.

c. Praesentia, Coniunctiui, Infinitiui.

1. *Praesens.* P. 79 in transitu monui *ibo* cum praesentibus non componi (Amph. 1075. Cist. 629 sq. B. Stich. 315 P.). Neque usquam, quantum uidi, *eo* cum futuris coniungitur; de *eo ut,* quod Abraham, Stud. Plaut. p. 208, negat Plautinum esse, in App. agam. Duo praesentia componuntur Most. 774:

. . . Eon, uoco huc hominem?:: I, uoca.

Merc. 582:

Quid stamus? quin ergo imus atque obsonium Curamus . . .?

Praeterea conferre liceat exempla quale est Truc. 514:

Adsum, adduco tibi exoptatum Stratophanem . . .

Mil. 709:

Prius quam lucet adsunt, rogitant noctu ut somnum ceperim.

Stich. 202 (cf Merc. 104):

Adeunt, perquirunt quid siet causae ilico [1].

2. *Coniunctiuus.* Poen. 1422:

Faciam ita ut uis:: Age sis, eamus: nos curemus. plaudite.

Cas. 422:

Eamus nos quoque intro: hortemur, ut properent . . .

Mil. 420:

Adeamus, appellemus. heus, quid istuc est . . .?

Merc. 373:

Ergo edepol palles: si sapias, eas ac decumbas domi.

Hec. 754. Merc. 486. — Trin. 736. Andr. 639. — Most. 989. Ad. 786. — Hoc loco mihi liceat nonnullos locos adferre, ubi uerba illa in sententiis secundariis posita sunt.

Curc. 351:

'Quid si abeamus, [ac] decumbamus'? inquit. consilium placet.

Leo, "Forsch." p. 251 de h. l. dicit: "Man pflegt *ac* zu streichen, vgl. zum asyndeton ('minime probandum' Ussing) Cas. 422 (h. u. supra exscripsi), aber im selbständigen Satz: copuliert im gleichen hypotetischen Fragesatz Cas. 357 quid si propius attollamus signa eamusque obuiam?"

[1] Etiam apud posteriores scriptores huius asyndeti haud pauca exempla exstant; uelut cf Cic. Diu. in Caec. 11 Adsunt, queruntur Siculi uniuersi; p. Quinct. 75 At contra omnes, quibuscum ratio huic aut est aut fuit, adsunt, defendunt, p. Sulla 61 (in sent. rel.) ex hac frequentia colonorum . . . qui adsunt, laborant; Uerr. I. 3 Immo uero adsit, respondeat.

Addere potuit[1] Cist. 321:

Quid, si adeam atque appellem?

Curc. 145:

Quid si adeam ad fores atque occentem?

Qui Leoni adsentiuntur *-s* in eiusmodi exemplis elisione tolli, *ac* retinere possunt; hoc tamen prorsus nego euinci posse *ac* ideo retinendum esse quod in sententia *Quid si* particulis illata positum sit. — Particula additur etiam Merc. 712. Rud. 399. 1189. Ad. 599. Cf Trin. 748 sq. P:

Uide si hoc utibile magis atque in rem deputas
Ut adeam Lesbonicum, edoceam ut res se habet.

A *ipsum adeam*. Stich. 298 sq. P:

Sic hoc uidetur mihi magis meo conuenire huic nuntio
Aduorsum ut ueniat, opsecret se ut nuntio hoc impertiam

A *aduorsum ueniat*. De his aliisque sim. ll. u. Baier, De Plauti fabb. etc. pp. 10. 25 sqq.

3. Infinitiuus. Rud. 601 sq.:

Uidetur ad me simia adgredirier Rogare scalas ut darem ...

Particula copulatiua additur Bacch. 575:

Nunc me ire iussit ad eam et percontarier.

Acc. Trag. 519. — Men. 329 *atque*, Ad. 916 *ac; adire et* Stich. 293. Phorm. 252; *atque* Asin. 247. Men. 1091. Trin. 1041.

C. De imperatiuis quibusdam.

De imperatiuis inter se componendis breuiter disputauit Loch, "Zum Gebr. des Imp. bei Plautus" p. 24 sqq., cf etiam Preuss p. 100 sqq. Longum est omnes locos adferre; itaque rem quam breuissime potero absoluam.

1. Si alteri imperatiuo negatiua particula addita est, particula copulatiua semper fere abest: imperatiuus negatiuus post positiuum collocari solet, Asin. 638:

Iam dedit argentum?:: Non dedit:: Bono animo es: ne formida.

Amph. 529 sq. Mil. 215. 1011. Poen. 1229. Stich. 186. Haut. 89; cf Curc. 131. Mil. 1129. Trin. 627. Imper. neg. inter duos positiuos interponitur Rud. 1254 (cf Most. 1105):

Abi intro, ne molestu's, linguae tempera.

[1] Cf Lindskog, De enunt. apud Plaut. et Ter. condicionalibus p. 109 sq.

Imperatiuus nonnumquam componitur cum coniunctiuo prohibitiuo; in eiusmodi exemplis coniunctiuus plerumque imperatiui negatiui uice fungitur. Cf Loch l. l. p. 22[1].

Mil. 1361:

I, sequere illos: ne morere . . .

Cf Poen. 1229 Ite in ius, ne moramini. — Asin. 469:

. . . aufer te domum, abscede hinc, molestus ne sis.

Cf Rud. 1254, u. supra. — Amph. 924. Mil. 1215. Coniunctiuus inter imperatiuos interponitur Aul. 458. Curc. 213. Pers. 318. Inuerso ordine collocatur imp. Most. 955:

. . . Tu ne molestu's: sine me cum puero loqui.

Cf Epid. 601. Rud. 688. Haut. 85; coni.: Pseud. 232. 889.

Particula *(atque, ac)* raro additur, uelut Asin. 462:

Suasisse, sibi ne crederes. da quaeso ac ne formida.

Cf Hec. 654 ac noli. — Poen. 261:

Quid hic malum astans opstipuisti? : : Sine amem: ne opturba ac tace.

Haut. 84. — Turp. 106 Appuhn, Quaest. Plaut. p. 89, sic formauit:

. . . ne me attige atque aufer manum.

Codd. *attiga;* Rbk *attigas! apage aufer.*

2. Apud poetas scaenicos saepe inuenimus locutiones qualis est *mitte ista atque ad rem redi* (Ad. 185), ubi *mitte, aufer,* sim. cum imperatiuis rem quae desideratur indicantibus componuntur. Uidentur autem homines docti de structuris illis inter se dissentire; uelut Skutsch, "Forsch." I p. 142 docet imperatiuos in eiusmodi formulis haud raro dissolute componi; Leo autem in adn. ad Capt. 964 adscripta copulam omitti posse negat.

Inspiciamus primum, si placet, exempla Terentiana. Particula copulatiua additur Ad. 185, u. supra; ib. 335:

Era, lacrumas mitte ac potius quod ad . . . prospice.

Cf 754 sq. 906 sqq. — *Et* legitur Phorm. 857:

Quin tu hinc pollicitationes aufer et quod fers cedo.

[1] Minus placet Morrisii interpretandi ratio "Am. Journ. of Phil." XVIII p. 149 sq.: "*Molestus ne sis* shows in a few cases, esp. where it follows immediately after another command, a tendency to dependence". Cf Dz. et Speng. ad Ad. 113.

Ordinem inuertit poeta Andr. 873:

Rem potius ipsam dic ac mitte male loqui.

Cf Phorm. 648. Sed non desunt asyndeti exempla, uelut Haut. 319:

. . . Syre, uerum hic dicit: mitte, ad rem redi.

δ *mitte ista atque;* in A *ista* add. corr. rec.; de *ista* figura u. Neue-Wag. "Formenl."[3] II p. 401 sq. — Ad. 838:

Non fiet. mitte iam istaec; da te hodie mihi.

H. l. metrum pessumdatur addita coniunctione. — Andr. 764:

Tu nescis? : : Mitte id quod scio: dic quod rogo.

ubi Terentius non solum concinnitati consuluit, sed etiam simulatam Daui iracundiam (u. Spengel ad 751. 760) optime expressit.

Cf etiam Phorm. 223:

Aufer mi "oportet": quin tu quid faciam impera.

Haut. 947 in Bembino sic traditur:

Quid agis? : : Mitte: sine me in hac re gerere mihi morem : : Sino.

Codd. Call. *ac* praebent; sed nihil est, cur a Bembini scriptura recedamus, praesertim cum eiusmodi uoculae in libris Call. persaepe additae sint, uelut *et* in u. 946 u. p. 105; cf Sydow, De fide etc. p. 50 sq.

Inuersum ordinem inuenimus Andr. 680:

Uel melius tute reperi, me missum face.

Uidemus igitur Terentium utramque structuram admittere. Quod cum ita sit prope adducimur ut credamus etiam Plautum idem sibi licere putasse. Neque tamen negauerim multa exempla Plautina incerta esse.

Atque codicum fide munitur Asin. 578:

Iam omitte ista atque hoc quod rogo responde . . .

Cist. 747:

Sed quaeso ambages mulier, mitte, atque hoc age.

Curc. 245:

Aufer istaec quaeso atque hoc responde quod rogo.

His tribus locis etiam ratio metrica *atque* flagitat. Sed reli-

qua quae Leo l. l. adfert exempla minus certa sunt uelut Most. 1134, quem uersum Leo in ed. sua sic formauit:

Call. Age mitte ista ac te ad me ad cenam dic uenturum. Tr. Quid taces?

acto ad B[1] CD *ac.to ad* B[2]. In B nota Tranionis ante *dic* ponitur. Si correctorem sequimur, uersum hunc in modum restituere possumus (cf G.-S. in praef. ed. min. p. VI):

Call. Age mitte ista: ito ad me ad cenam. Tr. Dic uenturum: quid taces?

Ceterorum conamina u. apud Schoellium in adn. crit.[1]

Trin. 1074 P:

Sed omitto alia: hoc mihi responde: liberi quid agunt mei.

omitte A, G.-S., Uss., Schoell, Bx. Cf Pers. 431 *omitte* A *omitto* P. His exemplis collatis (nam Poen. 1035: *Maledicta hinc aufer: linguam compescas face,* bis idem imperatur) Leo adprobante Niemeyero in adn. crit. ad l. Capt. 964 *ac* addidit Camerario duce:

Tandem ista aufer <ac> dic quid fers, ut feras hinc quod petis

ubi ceteri edd. Schmidtii emendationem (De pron. dem. p. 79) *istaec* probarunt. Sed uir doctissimus *istaec* in *ista* mutauit Amph. 1101:

Utut erga me meritast:: Mitte ista[ec] atque haec quae dicam accipe.

Sic Lindem., Uss.; G.-S. *atque* delerunt Bothio duce.

Ad exempla a Leone adlata haec addo: Merc. 942:

Quin tu istas omittis nugas ac mecum huc intro ambulas?

Men. 405. Capt. 790. *Et* Rud. 628. 1108. Ordo inuersus est Trin. 66:

Sed hoc animum aduorte atque aufer ridicularia.

Neque tamen mihi persuasum est asyndeton a sermone Plautino abhorrere. Nam illa exempla (Most. 1134. Trin. 1074. Capt. 964. Amph. 1101) etiam ei in suum usum conuertere pos-

[1] Addo Lindsayum nuper ("Introduction" p. 29) proposuisse: age, mitte ista: ac tu ad me in cenam —. Dic uenturum: quid taces? Edwin W. Fay, "Amer. Journ. of Phil." XVIII. p. 137 coniecit: age mitte ista, agito ad me cenam: "I'm having a big dinner", coll. Pers. 28. 769. Asin. 834.

sunt qui de lege illa quam Leo constituit dubitant. Conferre liceat Aul. 638:

Pone hoc sis: aufer cauillam: non ego nunc nugas ago.

Poen. 1061:

Sed mitto de illoc: ad te redeo. dic mihi.

Turp. 145:

Comperce uerbis uelitare: ad rem redi.

---

3. H. l. de nonnullis imperatiuis breuiter agam, qui saepius occurrunt apud poetas scaenicos.

Ausculta cum altero imperatiuo sine particula copulatiua componi solet, u. p. 84. Parenthetice, quod aiunt, inseritur Aul. 237:

. . . condicionem hanc accipe — ausculta mihi —
Atque eam desponde mi.

Cf praef. ed. min. p. XI.

Cape, asyndeton: Phorm. 152:

Puer, heus. — Nemon hoc prodit? — Cape, da hoc Dorcio.

Bacch. 1059. Curc. 423. Eun. 595 (γ EF *et*); *atque, ac:* Men. 272:

Cape atque serua: me lubente feceris.

Merc. 309 A et edd., cf Baier l. l. p. 37; Most. 267. Pers. 815. Haut. 831. *Accipe, sume atque* Merc. 126. Pseud. 647. Truc. 914. Andr. 724 sqq.; *et* Pseud. 988. De Mil. 773 u. p. 93. Sed *tene* dissolute componitur cum imperatiuo Pers. 497. Stich. 762.

Caue, cf Loch l. l. p. 23. Ante alterum imp. collocatum est Cas. 627. Most. 324; *et* Bacch. 463. Pers. 835, *ac* Rud. 1089. Si ordo inuersus est, particula abesse solet: Asin. 29 sq. 256. Capt. 439. Pers. 51. Stich. 37. Andr. 760. Naeu. 46 sq.: *ac* Bacch. 147; *et* Haut. 302.

Perge plerumque infinitiuo adiungitur, Amph. 801. 803. Cist. 517 sq. 751. 754. Men. 1093. Pseud. 1007. Rud. 1089. 1317. Trin. 162. 777. Phorm. 641; imperatiuus sequitur Amph. 277. Merc. 618, cf Bacch. 870.

Propera (cf Loch l. l. p. 25. Speng. ad Ad. 353. Lor.

ad Mil. 521) aut ante aut post alterum imperatiuum collocatur; asyndeton exstat Pseud. 161:

... habes quod facias: propera, abi intro.

Pers. 147. 306. Truc. 364. Pseud. 389:

Optumum atque aequissumum oras:: Propera, adduc hominem cito.

Sic P; A *celeriter*. Duas recensiones confusas esse censet Seyffert, "Berl. phil. Woch." XVI p. 286 (própera, adduc h. cito = ádduc h. céleriter). — Cas. 491:

Abi atque obsona, propera.

Pers. 772. Pseud. 890 sq. A, u. infra; Cas. 214. Trin. 1010.

Particula copulatiua addita est Poen. 426:

Tuom exornabo uilicum. propera atque abi.

Stich. 265. Aul. 270. — Pers. 85. Stich. 309. Exx. Terentiana haec sunt, Ad. 353:

Propera tu, mea Canthara, Curre, obstetricem accerse ...

Sic codd.; Umpf. et Dz. Bentleio duce *propere* sine iusta causa. Andr. 979:

... tu, Daue, abi domum, Propera, accerse hinc qui auferant ...

Sic A et edd.; codd. Call. *propere*. — Haut. 249 sq.:

... abi dum tu, Dromo, illis obuiam Propera: quid stas? ...

γ EF *propere*, quod etiam in A cerni posse docet Hauler, "Wien. Stud." XI p. 286[1].

Tace cum imperatiuis saepe componitur

a. omissa particula, Epid. 182:

Tacete: habete animum bonum.

Aul. 192. Epid. 668. Pers. 682. Stich. 37. Inuersum ordinem inuenimus Pers. 467. 727:

Age illuc apscede procul e conspectu: tace.

---

[1] *Propere* in omnibus libris traditur Hec. 808:

Parmeno, opportune te offers: propere curre ad Pamphilum. Cf Haut. 744. Cetera exx., quae Hauler l. l. adfert (Hec. 371. Ad. 320) ad *propere* defendendum non multum ualent, cum h. l. de imperatiuis agatur. Utrum uerum sit Haut. 249 sq. diiudicari nequit. Apud Plaut. *propere* cum imperatiuis, qui motum significant, non solet coniungi (cf tamen Cas. 744, p. 53); cf Bacch. 368. Curc. 121. 688. Men. 946. Most. 391. Stich. 334. Trin. 1174. — Pseud. 890 sq. A sic exhibet:

... intro abi et cenam coque, Propera.: Quin tu is ...

propere P, quod Lor. et Uss. sine iusta causa in textum receperunt.

Schoell *et* addidit, Seyffert *ac* coll. Bacch. 169. Rud. 1062. 1153, u. infra, sed nulla mutatione opus est. Cf etiam Epid. 562. 643.

b. *Atque, ac* legitur Aul. 103:

Tace atque abi intro : : Taceo atque abeo . . .

Aul. 273. Bacch. 137. Cas. 149. Most. 66. Poen. 1145. Pseud. 195. Rud. 679. Ad. 280. — Bacch. 169:

. . . satis est. sequere hac me ac tace.

Rud. 1062. 1089. 1153.

P. 93 monui Preussium falsa regula Plauti usum restringere conatum esse. Ad exx. l. l. adlata haec addo ex eis, quae paullo ante enumeraui: Aul. 103. 273. Bacch. 137. 903. Cas. 149. Most. 66. 267. Pseud. 988. Rud. 1062. 1153[1].

D. In narratione eorum, quae uno tenore aliud post aliud incidisse dicuntur, historicos uerba breuesque sententias dissolute componere solere notum est, cf Woelfflin, A. L. L. XI p. 28 sq., Nipp.-Andres. ad Tac. Ann. I 47. Eiusmodi exempla apud Terentium multo plura exstant quam apud Plautum: plerumque tamen multa uerba componuntur in narratione rei praeteritae, cf Cas. 41 sqq., u. Schneider, De temp usu p. 8 sqq. Duo praesentia inuenimus u. gr. Ad. 618:

. . . ubi eam uidi, ilico Accedo, rogito, Pamphila quid agat . . .

Phorm. 112:

Postridie ad anum recta pergit, obsecrat, Ut . . .

Eun. 134:

. . . pretium sperans, ilico Producit, uendit.

---

[1] Constat imperatiuos cum futuris saepe ita componi, ut imperatiuus idem fere ualeat atque sententia condicionalis. In graeca lingua futurum cum imperatiuo haud raro coniungitur καί particula: φράζε καὶ πεπράξεται, Arist., ἕπεσθε καὶ ὑμῖν δέξω, Hdt. Cic. semper in euentu imperatae actionis significando imperatiuo futurum sine coniunctione subicit; inferioris aetatis scriptores *et* interponunt. Cf Madvig, Opusc. II p. 162. Schmalz, Synt.[3] p. 341. Nägelsbach, Stil. p. 743. Apodosis illa a *tum* uel *iam* saepe incipit apud optimos scriptores. Apud Plaut. *ac* semel inuenitur, Bacch. 695:

Uix uidetur fieri posse : : Perge, ac facile ecfeceris,

ubi Seyffert (cf praef. ed. min. p. VII) *ac* deleuit. Cf Phorm. 561:

Praestost: audacissume oneris quiduis inpone, hic feret.

Sic Hauler cum corr. rec. A; codd. Call.: *et feret*, cf Hauler ad l. Apud Auct. ad Herenn. unum ex. inueni, IV. 29. 39: dicite, atque obtemperabo.

Cf Haut. 144 produxi ac uendidi. Eun. 627:

Interea aurum sibi clam mulier demit, dat mi ut auferam.

Cas. 931:

Decido de lecto praecipes: subsilit, optundit os mihi.

Mil. 115 sq. — Turp. 195:

. . . ubi praeter se neminem Uidet esse, tollit aufert . . .

Perfectum, Andr. 89 (cf 140 sq. 365):

. . . 'quid Pamphilus?' 'quid? symbolam Dedit, cenauit' . . .

Inf. historicus apud Ter. in frequentiore usu est quam apud Plautum. Plerumque duo uel plures infinitiui componuntur, uelut Hec. 182:

. . . fugere e conspectu ilico Uidere nolle.

Eun. 410 sq. Ad. 45 sq. 864. Andr. 662, u. Spengel ad l. Infinitiuus et praesens se excipiunt Phorm. 92 sq.:

. . . Nos mirarier; Rogamus quid sit[1].

Particula additur u. gr. Amph. 1112:

Ego cunas recessim rursum uorsum trahere et ducere,

ubi *et* ante creticum ponitur, cf Bx ad Mil. 267. In narratione rei praeteritae praesentia et perfecta saepe misceri constat; totam rem nuper tractauit A. C. Emery, "The Historical Present in Early Latin", Ellsworth 1897.

De asyndeti usu in sententiis secundariis.

In sententiis secundariis duo uerba semper fere particulis copulatiuis coniungi omnibus notum est. Sed in uetustissimo Italorum sermone coniunctiones saepe omissas esse ex inscriptionibus concludere licet, ubi duo uerba ad idem pron. rel. pertinentia uel ex eadem coniunctione pendentia haud raro dissolute ponuntur: cf Altenburg l. l. p. 16 sqq. Etiam apud Plautum et Terentium huiusmodi asyndeta nonnullis locis inuenimus.

[1] Woelfflin, "Die Entwickl. des Inf. hist.", A. L. L. X p. 180 (cf etiam Hauler ad l. l.) docet infinitiuos historicos iterationem aut perdurationem exprimere neque de re semel facta aut de initio actionis usurpari posse, si singillatim adhibentur. Sed non desunt exempla quae legi illi repugnent, u. Samuelsson, Stud. in Ual. Flacc. p. 44. Cf Eun. 515.

1. *Uerba contrariae significationis.*

Poen. 534:

An uero non iusta causast quor curratur celeriter,
Ubi bibas, edas de alieno quantum uelis . . .

Naeu. 92:

Primum ad uirtutem ut redeatis, abeatis ab ignauia.

Asyndeta aduersatiua, qualia sunt Bacch. 35 potis est ut tu taceas, ego loquar; Capt. 1027 sq. ut istas compedis Tibi adimam, huic dem, sim. adferre supersedeo.

2. *Uerba eiusdem fere significationis.*

Cist. 21 sq. apud G.-S. sic legimus:

Nemo álienus híc est :: Meritó uostro amó uos,
Quía me colitis, [et] mágni[s] facitis :: Décet pol, mea Selénium.

et del. Spengel, "Reformvorschl." p. 234 sq. Cf etiam Schoell in app. crit. Sed Leo nuper negauit fieri posse, ut duo uerba, quae idem fere significant aut in unam notionem quasi comprehenduntur, in sententiis secundariis ἀσυνδέτως componantur, cf "Forsch." p. 246 sq. Itaque de loco nostro sic iudicat: "Hier trifft es sich nun so, dass . . . die Copula zu entfernen . . . keineswegs unbedenklich ist". De hac regula Altenburg l. l. dicit se dubitare exempla ex inscriptionibus proferens, quae legem illam migrant, sed Leo, De fig. serm. II p. 11[2], in eadem quam ante proposuit sententia perstare uidetur. Neque dubito fore plerosque qui cum admiratione atque adeo cum irrisione animaduertant me a uiro illo Plautinissimo dissentire audere; sed illa lex neque per se probabilis uidetur et exemplis refellitur. Leo unum ex. adfert, Stich. 206:

Eos omnis tam etsi hercle haud indignos iudico,
Qui multum miseri sint, laborent, nil moror,

"einen sehr zweifelhaften Beleg". Uss. sic interpunxit:

Qui multum miseri sint — laborent; nihil moror —

Inter *miseri sint, laborent* et *miseriis, laboribus* Men. 1133 eadem fere ratio intercedit atque inter *dic inpera* et *dicto imperio*, u. p. 16 sq.; asyndeton defendit Bugge, Philol. t. XXXI p. 247. Praeterea conferre liceat Epid. 219:

Cum illa quam tuos gnatus annos multos deamat, deperit.

Bacch. 407:

. . . quo ducis nunc me? : : Ad illam quae tuom
Perdidit, pessumdedit tibi filium unice unicum.

Cist. 205:

Qui omnes homines supero [atque] antideo cruciabilitatibus animi.

atque Leo ipse damnauit Mus. Rhen. t. XXXVIII p. 11 et in ed. sua uncis quadratis inclusit; etiam Seyffert, "Berl. phil. Woch." XI p. 925 particulam interpolatori deberi censet.

Stich. 31 (in serie):

Quom ipsi interea uiuant, ualeant,
Ubi sint, quid agant, ecquid agant,
Neque participant nos neque redeunt.

Quin etiam Terentius, qui synonyma multo rarius quam Plautus componit omissa coniunctione, hoc asyndeto usus est Haut. 946:

Egone? ut eius animum, qui nunc luxuria et lasciuia
Diffluit, retundam, redigam, ut quo se uortat nesciat.

Sic A; codd. Call. *et* praebent, cf Sydow, De fide p. 50 sq. Andr. 373:

Nisi uides, nisi senis amicos oras, ambis : : Bene mones.

Cf Meissn. ad u. 248, Lor. ad Mil. 69.

Tria uerba ad idem pron. rel. spectant, sed duo posteriora artius cohaerent Eun. 554:

Sed neminemne curiosum interuenire nunc mihi,
Qui me sequatur, quoquo eam, rogitando obtundat, enicet.

Cf Spengel ad Andr. 348. 660. Langen, "Die Metapher" p. 764 sq. Uidemus igitur synonyma etiam in sententiis secundariis nonnumquam ἀσυνδέτως componi. Sed longe plurimis locis uerba illa diuersa significatione praedita sunt.

3. *Uerba diuersae significationis.*

Ex exemplis, quae Leo adfert l. l.: Amph. 1061. Capt. 80. 436. Curc. 3. 329. Mil. 690. Most. 663. Poen. 1100. Rud. 179. 307. 774. Trin. 749 P. Truc. 513. 924. Caec. Stat. 160. Titin. 51, nonnulla h. l. paullo uberius tractare liceat.

Curc. 3:

Quo Uenus Cupidoque imperat, suadetque Amor.

Cf p. 28. B[1], quem secuntur G.-S. et Leo, *suadet* praebet; sed codicis Ueteris altera manus B[2], quam in octo prioribus fabulis alterius libri eiusdemque praestantissimi instar esse constat, *suadetque* exhibet, quod Goetz et Uss. receperunt.

Capt. 436 additur sententia per *neque* particulam:

Ne . . . Tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras,
Neque des operam pro me ut huius reducem facias filium[1].

Most. 663 Leo l. l. legendum esse censet:

Quid ego nunc agam,
Nisi ut in uicinum hunc proxumum istunc percitem,
Eas emisse aedis huiius dicam filium.

Sic etiam Schoell, qui tamen post *percitem* signum interrogandi posuit. Sed exitus uersus uulnere laborat, cf Schoell in adn. crit.[2].

Poen. 1100 sqq. G.-S. sic ediderunt:

Ut te allegemus: filias dicas tuas
Surruptasque esse paruolas Carthagine,
Manu liberali causa | ambas adseras.

Leo ad l. adnotat: "*allegemus, dicas* asyndeta". Sed h. l. non particula copulatiua deest; solet enim Plautus uerbo *adlegare* enuntiationem relatiuam adiungere[3]. Itaque uix dubium est quin Plautus metro coactus pron. rel. omiserit; cf Epid. 315, p. 33 et locos, ubi uerba uol. cum nudo coniunctiuo iunguntur, u. Persson, Adn. Plaut. p. 9 sq. Hoc quidem loco eo facilius omitti potuit pron. rel., quod *dicas* haud raro imperatiui uice fungitur, cf Loch l. l. p. 12. Morris l. l. p. 146; uariat structura Mil. 1101 sq.

Saepe autem difficile est diiudicare, num uerba dissolute

[1] De h. l. perperam iudicat Niemeyer in ed. Brixiana; cf Seyffert, Ann. Burs. t. LXIII. p. 37; Redslob, "Berl. phil. Woch." XVIII p. 817.

[2] Locum nuper temptauit E. W. Fay, "Am. Journ. of Phil." XVIII p. 181: *mendax siem.*

[3] Cf Amph. 183 Aliquem hominem allegent, qui mihi . . . os occillet probe.
Cas. 52 Pater adlegauit uilicum, qui posceret Sibi istanc uxorem.
ib. 55. 604 Quin eapse me adlegauit qui istam arcesserem.
Pers. 136 . . . Immo alium adlegauero Qui uendat . . .
Poen. 773 Eum adlegarunt, suom qui seruom diceret . . . esse . . .
Pseud. 1233 Qui illum ad me hodie adlegauit, mulierem qui abduceret.

posita sint, neque omnia exx. a Leone adlata suspicione carent. Nonnulla ipse addam. Merc. 553:

... tum in otium Te conloces, dum potes, ames.

Cas. 44:

Dat erae suae: orat, ut eam curet educet.

Amph. 842. Epid. 463. Men. 801 sq. Trin. 217, cf Bx et Uss. ad l.; 468 sqq., 701. Haut. 721. Phorm. 693. 699. Hec. 512. Enn. Trag. 384. Acc. Trag. 510 sq. — Capt. 1011 sq.;

Pater hic est: hic seruos, qui te huic hinc quadrimum surpuit,
Uendidit patri meo te sex minis. is te mihi
Paruolum peculiarem paruolo puero dedit.

"Denne är din fader, och denne den slaf, som röfvade bort dig och sålde dig ..." In pronomine *hic* ad uarias personas relato non est offendendum, cf u. 1018. Curc. 716. Poen. 1324 sq. Bx et Uss. ad Capt. 447. Bach, Stud. Stud. II p. 310. Persson, Adn. Plaut. p. 105. — Andr. 51 sq.:

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia,
Liberius uiuendi fuit potestas (nam antea ...

Sic codd.; Umpf. et Meissner Donatum secuti *et* in exitu uersus addiderunt, Bentley cum Guyeto *ac* inseruit. Sed asyndeton non debere nobis scrupulum inicere nuper monuit Persson in scholis Plautinis a. 1898 habitis. Neque tamen necesse est mea quidem sententia *atque* in omnibus libris traditum delere Ad. 217:

Metuisti, si nunc de tuo iure concessisses paululum atque
Adulescenti esses morigeratus ... Ne non tibi istuc faeneraret.

Nihil enim impedit quominus putemus Terentium utraque structura usum esse. Acc. c. inf. dissolute composuit Haut. 472. Ad. 333 sq., cf Epid. 485, p. 33, Pseud. 1011 sq., p. 32, Trin. 736 sq.; sed Eun. 260 *et* additum est neque deleri debet:

Ille ubi miser famelicus uidet mihi esse tantum honorem et
Tam facile uictum quaerere ...

Uidemus igitur nihil interesse quid uerba significent. Itaque nihil impedit quominus asyndeton probemus Curc. 351, u. supra p. 95 sq., cf Leo, "Forsch." p. 251.

VI. Praepositiones.

A. Si praepositiones repetuntur, particula copulatiua addi solet. Nonnullos locos, qui huic usui repugnant, iam adferam.

Mil. 712:

Abducunt ad exta, me ad se ad prandium, ad cenam uocant.

Structura illa optime quadrat ad colorem totius orationis Periplecomeni, cf u. 705 sqq. Quod etiam ualet de Ad. 863:

Ille suam egit semper uitam in otio, in conuiuiis;

Epid. 198:

Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio atque in foro;

ubi membra uersus inter se respondent[1].

Praeterea haec exempla adnotaui: Cist. 377:

Siquidem imperes pro copia pro recula.

Cas. 664:

Ita omnis sub arcis, sub lectis latentes Metu mussitant.

Lege illa, quam supra constitui, non tenetur *cum* praepositio: cf Most. 392:

Ubi ego ero? :: Ubi maxume esse uis: cum hac, cum istac eris;

hac ad Delphium, *istac* ad Philematium spectat[2].

Curc. 289:

Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis.

Etiam alia asyndeta haud pauca occurrunt in oratione parasiti iam inde a u. 280 sqq.

De Poen. 536. 588, qui uersus uiris doctis magnas attulerunt molestias, uberius disputauit Buecheler A. L. L. I p. 279. Agorastocles adulescens aduocatos uituperat, quod nimis tarde incedunt; si ad prandium, inquit (u. 529), uos ducerem, uinceretis ceruum cursu. Ad ea respondent aduocati iustam

[1] Pseud. 705 b A et P inter se discrepant:

Fraude partas, per malitiam, per dolum et fallaciam.

Sic A (nisi quod *fallacias* praebet), G.-S., Uss., Goetz. Leo P secutus *et per* recepit.

[2] Hiatum *(cum hac)*, quem homines docti uariis modis tollere conati sunt (cf Schoell in adn. crit.), defendit Skutsch, "Berl. phil. Woch." XIV p. 139; cf Maurenbrecher "Hiatus u. Verschl." p. 36 sqq.

quidem causam esse, cur celeriter currant, si de alieno bibere et edere liceat (cf p. 104):

Sed tamen cum eo cum quiqui quamquam sumus pauperculi,
Est domi quod edimus: ne nos tam contemptim conteras.

B *quo meo quom quiqui.* "*quom eo* hier weist auf den einen, thatsächlichen, besagten Umstand hin, das entsprechende *quom quiqui* auf jede beliebige Modalität: dies mitgerechnet und jedes andre, trotz dem und trots allem sonst; . . . das Asyndeton ist kopulativ, das Ganze ein die Juristen charakterisierender, formelhafter Umschweif zur Schärfung des Gegensatzes. Der Sklave (Milphio) giebt ihnen nachher die Phrase zurück . . . Dem und allem ohngeachtet — brave Leute seid Ihr:

Adu. Dei te perdant. Mi. Uos quidem hercle. cum eo cum quiqui tamen
Et bene et benigne facitis, quom ero amanti operam datis."

Cf etiam Cas. 524:

Cum cibo, cum quiqui facito ut ueniant, quasi eant Sutrium.

De Curc. 612. Men. 666. Merc. 988 u. infra.

B. 1. Ballas Gramm. Plaut. I p. 19 sq. docet *que* particulam his solis praepositionibus adiungi: *circum, cum, per, pro, sine.* Cf Elmer p. 302. Leo, "Gött. Nachr." a. 1895 p. 419. Repetitam inuenimus praepositionem his locis: Curc. 2:

Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
Cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?

Merc. 794. Pseud. 837 sq. Haut. 811. u. infra.

Per in obsecrationibus occurrere solet uelut Asin. 19 sq.:

Ita ted obtestor per senectutem tuam
Perque illam quam tu metuis uxorem tuam.

Andr. 290. 540. De polysyndetis (Capt. 244 sqq. Poen. 417 sqq. Mil. 541 sqq.) cf Skutsch, "Forsch." I. p 152 sq. Bacch. 930:

Sine classe sineque exercitu et tanto numero militum.

Draeger Synt. II. p. 35 et Ringe l. l. p. 20 falso docent *ad* repeti addita *que* particula Truc. 95, ubi *atque* coniunctio in CD per *d* scribitur. Cf etiam Seyffert, Ann. Burs. t. XLVII p. 98. adn. Quod autem uir doctissimus censet *que* praepositionibus non adiungi nisi ubi eadem praepositio iteratur, errat; cf Capt. 225. 542. Epid. 199. Stich. 409. Truc. 278.

2. Ex eis quae Ballas l. l. disputauit forsitan quispiam concludat *cum* et *per* non coniungi nisi *que* particula.

Cf tamen Rud. 28:

Quique aetatem agitis cum pietate et cum fide.

Stich. 580. Bacch. 12. — Uidemus igitur *cum* praepositionem saepe repeti uel ἀσυνδέτως uel additis *que*, *et* coniunctionibus. Quod semper fieri uidetur, si quis alium iubet in malam crucem abire uel optat ut dei aliquem perdant, uelut Curc. 612:

Si uis tribus bolis uel in chlamydem:: Quin tu is in malam crucem
Cum boleis, cum bulbis?

Hoc quidem loco luditur in similitudine soni; in significatione uerborum Rud. 1170 (cf Sonnenschein ad l.):

Sucula:: Quin tu i dierecta cum sucula et cum porculis.

Cf Merc. 794:

At te, uicine, di deaeque perduint
Cum tua amica cumque amationibus.

De hiatu cf p. 65 adn. — Pseud. 837 sq.:

. . . te Iuppiter Dique omnes perdant cum condimentis tuis
Cumque tuis istis omnibus mendaciis!

Haut 811:

Ut te . . . di deaeque . . . Cum istoc inuento cumque incepto perduint!

Quae cum ita sint, haud scio an etiam Men. 666 facilem habeat explicationem. Peniculus parasitus, postquam inanis relictus est (sperauerat enim se praemium accepturum esse, quod matronae omnia, quae Menaechmus fecerat, aperuisset cf u. 519), non Menaechmo solum sed etiam uxori eius mala omnia optat:

Cum uiro cum uxore di uos perdant. properabo ad forum:
Nam ex hac familia me plane excidisse intellego.

Cf Leo ad l. Ceteri edd. uaria temptarunt, u. Schoell in adn. crit.; G.-S.: *Qua uirum qua uxorem* . . . Fleckeiseno duce, u. p. 132. Cf etiam Merc. 988:

Iam obsecro hercle habete uobis cum porcis, cum fiscina.

Cf Seyffert, "Berl. phil. Woch." X p. 597.

Trin. 153:

Id solus solum per amicitiam et per fidem
Flens me obsecrauit . . .

Capt. 245. Andr. 326. — *Sine . . . et sine* Amph. 206. Cist. 141. Poen. 242. Eun. 929 ADE. Praeterea *et* his ll. inueni: *ad* Rud. 549 sq., cf Bacch. 1077. *clam* Merc. 545. *de* Men. 421. 479. Poen. 549. Stich. 355. *in* Mil. 703. *praeter* Haut. 59 sq. *pro* Pers. 169. Pseud. 232.

3. *Atque* adhiberi solet ad praepositiones coniungendas, quae a uocalibus incipiunt, uelut Aul. 221:

Ut inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me irrideas.

Truc. 47. Hec. 23. *ad* Capt. 369. Poen. 1153. Trin. 956. *ex* Stich. 111. Haut. 442. 1030. Ad. 862. *in* Amph. 259. 633. Merc. 197. 590. Pers. 786. Pseud. 686. Stich. 414. Andr. 303. 830. Haut. 437. Ad. 773. *Per . . . atque per* legitur Pseud. 527.

VII. De enuntiatis quibusdam secundariis inter se componendis.

1. Sententiae relatiuae.

De sententiis relatiuis inter se copulandis multi homines docti disputarunt neque tamen res ita pertractata esse uidetur, ut nulla addi aut mutari possint. Cf Holtze, Synt. I p. 389. Bach, De usu pron. dem., Stud. Stud. II p. 373 sqq. Tessing, Synt. Plaut. p. 10 sq. Seyffert, Ann. Burs. t. LXXX p. 310. 332.

A. Pronomen relatiuum non iteratur.

Holtze l. l. haec docet: "Si duae enuntiationes rel. ad eandem notionem spectant, constans hic est usus et Graecorum et priscorum Lat. scriptorum, ut semel tantum ponatur relatiuum, in altera autem enuntiatione aut plane nullum pron. aut pron. tertiae personae sequatur." Qua lege adeo non teneri poetas scaenicos Bach l. l. ostendit, ut pron. rel. persaepe iteretur. Itaque non debuit Niemeyer ad Capt. 555 (ed. V, a. 1897; cf etiam Sonn. ad Rud. 291) Holtzium secutus contendere: "Der Gebrauch, das 2. Glied des Relativsatzes demonstrativ anzuknüpfen, ist . . . auch bei Plaut. nicht selten",

quod Redslob, "Berl. phil. Woch." XVIII p. 816 improbauit his uerbis: "Vorsichtiger wäre *Plautus nicht fremd* st. *bei Plaut. nicht selten;* es handelte sich höchstens um ein Halbdutzend Stellen". — Iam exempla adferam.

a. Sententiae negatiuae.

α. Nihil scilicet offensionis habent exempla quale est Pseud. 730 sq.:

. . . hominem Qui a patre aduenit Carysto necdum exit ex aedibus
Quoquam neque Athenas aduenit umquam . . .

ubi idem pronominis relatiui casus in posteriore enuntiato audiri potest. Cf Epid. 607 sq. Merc. 32. Most. 301 sq. Poen. 269. Rud. 992. Stich. 58 sq. Trin. 960 sq. Haut. 958 sq.

β. Neque aliter de eis locis iudicandum esse uidetur, ubi poeta, cum enuntiata particulis correlatiuis *(neque — neque)* inter se coniunxisset, in altera sententiae parte pron. rel. nullo omnino modo ponere potuit, si quidem uolebat structuram impeditissimam euitare. Cf Madvig, Opusc. II p. 178. Krumbiegel, De Uarroniano scrib. gen. quaest. p. 36. Idem pronominis relatiui casus auditur Pseud. 97 sq.:

Quid ego ni fleam,
Quoi nec paratus nummus argenti siet,
Neque libellai spes sit usquam gentium?

Codd. *libellae;* corr. Ritschl. Mueller (cf "Nachtr." p. 119) Camerarii emendationem *Neque <quoi> libellae* sine iusta causa commendauit. — Caec. Stat. 201.

Alius casus pronominis cogitatione addendus est his ll., ubi pron. dem. uel personale non sequitur: Amph. 885:

Quae neque sunt facta neque ego in me admisi, arguit.

ib. 587 sq.:

Nunc uenis etiam ultro inrisum dominum: quae neque fieri
Possunt neque fando umquam accepit quisquam, profers . . .

E datiuo nominatiuus audiendus est Rud. 291:

Praesertim quibus nec quaestus est nec didicere artem ullam [1].

[1] Hiatum *artem ullam* (cf Maurenbrecher l. l. p. 51) Sonn. Spengelio duce remouit *n* littera addita: *nullam.*

Etiam h. l. Mueller l. l. *qui* addere uoluit. — Ad. 84 nom. ex acc. auditur:

Quid fecit? : : Quid ille fecerit? quem neque pudet
Quicquam nec metuit quemquam neque legem putat

Pron. dem. uel pers. pro altero relatiuo substituitur:

Poen. 623 sq.:

Fortunati omnes sitis: quod certo scio
Nec fore nec Fortunam id situram fieri.

Trin. 1141:

Quem ego nec qui esset noram neque eum ante usquam conspexi prius.

Rud. 278 sq.:

Quibus nec locus nullus nec spes paratast
Neque hoc amplius quod uides nobis quicquamst.

Phorm. 181:

Quae neque uti deuitem scio neque quo modo me inde extraham.

Cf etiam Ad. 306 [1].

γ. Per *neque* particulam adiungitur altera sententia his ll., ubi alius pronominis casus audiatur necesse est: Amph. 566:

Tune id dicere audes, quod nemo umquam homo antehac
Uidit nec potest fieri, . . .

ib. 425:

Nam quod egomet solus feci nec quisquam alius affuit . . ., id . . .

Poen. 867 sq.:

Quid est quod male sit tibi, quoi domi sit quod edis, quod ames, adfatim,
Neque triobolum ullum amicae das et ductas gratieis?

quodque ames A, Uss. H. l. sententiae minus arte cohaerent; neque tamen opus esse uidetur cum G.-S. in fine u. 867 signum interrogandi ponere.

Andr. 93 sq.:

Nam qui cum ingeniis conflictatur eius modi
Neque commouetur animus in ea re tamen

Pron. rel. excipitur alius generis pronomine Trin. 849 sq. P, cf Baier l. l. p. 60:

Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego qui sit homo nescio
Neque noui neque natus necne is fuerit id solide scio.

[1] *neque . . . et* legitur Pseud. 1134. Cist. 691.

Epid. 335:

Quippe tu mi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus blatis,
Quod nusquamst, neque ego id inmitto in aures meas [1].

Cf etiam Epid. 329 sq.:

Quid illum ferre uis, qui, tibi quoi diuitiae domi maxumae sunt,
Is nummum nullum habes nec sodali tuo in te copiast?

G.-S. ictus omis.; Leo, "Die plaut. Cant." p. 100 codicum scripturam (*nec* in *neque* mutato) duobus octonariis (troch. et iamb.) discribi posse censet. De *is* ad secundam personam relato cf Seyffert, Ann. Burs. t. LXXX p. 309 adn. Persson, Adn. Plaut. p. 57.

b. Sententiae affirmatiuae.

Pron. rel. excipitur eodem casu pronominis demonstratiui Capt. 555:

Ne uerere: multos iste morbus homines macerat,
Quibus insputari saluti fuit atque is profuit.

Leo huc refert Pseud. 225, ubi part. cop. non addita est:

Tu autem, quae pro capite argentum mihi iam iamque semper numeras
Ea pacisci modo scis, sed quod pacta's non scis soluere,
Phoenicium, tibi ego haec loquor . . .

Sic codd., G.-S., Leo, qui adnotat: "*ea* relatiuum suscipit, cf Trin. 1141. Poen. 624." Goetz, Uss., Lor. Ritschelio duce *Quae pacisci.* Pronomen rel. excipit pron. pers. Cas. 2:

Saluere iubeo spectatores optumos
Fidem qui facitis maxumi et uos fides.

De hiatu u. Maurenbrecher l. l. p. 211: *et nosmet* Seyffert apud Schoellium.

Ex accusatiuo *quas* supplendum est *a quibus* Poen. 337:

Sunt illi aliae, quas spectare ego et me spectari uolo.

Cf etiam Asin. 888.

B. Pronomen relatiuum iteratur.

Tessing l. l. de copulandis inter se sent. relatiuis haec docet: "Duae sententiae relatiuae, quae ad correlatum unam eandemque habent rationem, coniunctione copulatiua (*et*, *que*,

[1] U. 335 uidetur aut cret. tetram. esse aut senarius. Cf Leo, "Die plaut. Cant." p. 100.

atque) inter se coniunguntur. Omittitur autem coniunctio, cum diuersa ratione referuntur ad correlatum sententiae relatiuae." Seyffert autem l. l. p. 332 aliam regulam constituit: "Auch in dem ersteren Falle stehen sehr häufig die Relativsätze unverbunden nebeneinander, auch wo nicht Anaphora, die vom Verf. statuirte Ausnahme, vorliegt."

a. Enuntiationes relatiuae sine coniunctione componuntur.

α. *Diuersa ratione ad correlatum referuntur.*

Relatiua non ad idem correlatum referuntur Capt. 987 sq.:

Dic mihi, isne istic fuit quem uendidisti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus est? . . .

i. e.: Num iste, quem uendidisti, is fuit, qui . . .; cf Bx et Uss. ad l. — De Rud. 77 sq. u. Sonn. ad l.

Persaepe fit, ut altera sent. rel. ad notionem quandam circumscribendam adhibeatur atque cum correlato tam arte cohaereat, ut una notio efficiatur, uelut Men. 58:

Epidamniensis ille, quem dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui surrupuit alterum, Ei . . .

ib. 397:

. . . Dic quid est id quod negem, quod fecerim?

i. e. "quod est id facinus quod negem", Bx ad l. Cf etiam Aul. 555 sq. Capt. 938 sq. Epid. 268. 435 sq. Mil. 132. Most. 354 sq. 970. Pers. 136, cf p. 106 adn. 819 sq. Pseud. 462. Trin. 116. 949. Truc. 648 sq. Haut. 233. Ad. 53.

Nonnumquam diuersa ratio uariatione modorum apparet, uelut Trin. 268:

Sunt tamen, quos miseros maleque habeas,
Quos tibi obnoxios fecisti. Cf Bx ad l.

Rud. 857. 1110 sq. Mil. 140. Pers. 493.

Altera sententia alteri ita subiuncta est, ut ratio concessiua uel aduersatiua inter eas intercedat: Amph. 154:

Qui me alter est audacior homo aut qui confidentior,
Iuuentutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?

ib. 695. 779. Bacch. 920. Stich. 117. Rud. 690. Eun. 17 sq. Andr. 619 sq.

Prior sententia quasi parenthetice inseritur Rud. 80:

Adulescens huc iam adueniet, quem uidebitis,
Qui illam mercatust de lenone uirginem.

Cf Sonn. ad l.; cf etiam Capt. 707 sq. Nonnumquam tamen fit, ut enuntiationes relatiuae, quae

β. *Eadem ratione ad correlatum referuntur,*

componantur nulla addita coniunctione. Atque exempla, quale est Bacch. 646, neminem offendent:

Nunc amanti ero, filio senis,
Quicum ego bibo, quicum edo et amo;

anaphoram redolet, cf uu. 640 sqq. — Poen. 867, u. supra p. 113. — Mil. 1205:

. . . donaui, dedi Quae uoluit, quae postulauit.

dedi Bx; codd. *dere.* — Asin. 211:

. . . quod ego iusseram, quod uolueram, Faciebatis . . .

Cf Truc. 212 quae uolam et quae lubebit. — Curc. 288 sq.:

Tum isti Graeci palliati capite operto qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis.

Merc. 664:

Certumst praeconum iubere iam quantumst conducier
Qui illam inuestigent, qui inueniant . . .

Merc. 919 (= Amph. 655):

. . . commodum illi non est, quae me amat, quem ego contra amo?

Andr. 272 sq.:

. . . illam . . . Quae mihi suom animum atque omnem uitam credidit,
Quem ego animo egregie caram pro uxore habuerim?

De uariatione modorum u. infra p. 118 adn. Cf Cas. 194:

Quin mihi ancillulam ingratiis postulat
Quae meast, quae meo educta sumptu siet.

Quae cum ita sint, uix opus est omnia exempla, ubi enunt. rel. sine part. cop. componuntur, exscribere, praesertim cum haud raro difficillimum sit diiudicare, utrum eadem an diuersa ratione ad correlatum referantur, neque exempla desint, quae utramque interpretationem admittant [1]. Adnotaui haec exempla:

[1] Grammatici docent scriptores Latinos ea lege, quam Tessing Plauto imposuit, teneri. Cf Draeger II p. 508 sq. Kühner II p. 873 sqq. Seyffert-

Amph. 363 sq. 531 sq. Asin. 486. Capt. 814 sqq. 875 sq. Cist. 715 sq. Epid. 90. 373. Men. 242. Mil. 997 Leo. 1390 sq. Pers. 460. Poen. 268 sq. 468. Pseud. 617. 718. 1081. Rud. 17 sq. Stich. 199 sq. Andr. 19 sq. Eun. 1047. Hec. 539. Ad. 19 sq.

b. Relatiua particulis copulatiuis coniunguntur.

Post *neque* particulam pron. rel. non solet iterari, u. exx. supra adlata, Bach, l. l. p. 375. Repugnat huic usui, quantum uidi, unus locus, Bacch. 617:

Nequior nemost neque indignior quoi
Di bene faciant neque quem quisquam
Homo aut amet aut adeat[1].

De ceteris particulis Seyffert l. l. p. 332 haec docet: "Die gewöhnliche Verbindungspartikel ist *que; et* und *atque* sind in diesem Falle äusserst selten". Usum Terentianum Elmer l. l. p. 305 hac tabella illustrat: "with preceding rel., *que* 3, *et* 10; with no prec. rel. *que* 1, *et* 20". Apparet autem Elmerum etiam interrogationes obliquas aliaque multa exempla, quae huc non pertinent, in numero illo rettulisse.

1. *Que,* Pseud. 1086:

Nam quanti refert ei nec recte dicere
Qui nili faciat quique infitias non eat?

Mil. 736 sq. — Truc. 518 sq.:

Salue, qui me interfecisti paene uita et lumine
Quique mihi magni doloris per uoluptatem tuam
Condidisti in corpus, quo nunc etiam morbo misera sum.

Sic (minutiis omissis) libri hos uersus tradunt neque mutatione opus esse uidetur, u. Leo, De fig. serm. I p. 16 sq. — Rud. 128 sq.:

Mueller ad Lael. VIII: 27. Sed uix dubitari potest, quin etiam alii scriptores sententias nonnumquam dissolute composuerint, quae ad correlatum eadem ratione referuntur. Uelut cf Cic. de Off. II § 40: Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas obseruent. Iuu. Sat. XII: 8 sq.:

. . . uitulus . . . ., quem iam pudet ubera matris
Ducere, qui uexat nascenti robora cornu.

[1] Locum adscripsi talem, qualem edidit Leo (G.-S. ictus omis.); cf Leo, "Die plaut. Cant." p. 110. Cf etiam praef. ed. min. p. VII.

Hic dico, in fanum Ueneris qui mulierculas
Duas secum duxit quique adornaret sibi[1]

Enn. Trag. 237 sq. Aquil. 1 sq. — Men. 1133 sq. Mil. 1229: *quem . . . quemque.* Amph. 677 sq.: *quam . . . quamque adeo.*

Capt. 271:

Proxumum quod sit bono quodque a malo longissume,
Id uolo.

longissume sc. *absit,* Niemeyer, sc. *sit* Redslob, "Berl. phil. Woch." XVIII p. 816. Bacch. 743. Stich. 127.

Curc. 480:

Sub ueteribus ibi sunt qui dant quique accipiunt faenore.

Bacch. 1087. Pseud. 427. Rud. 13 sq. 28 sq. 623. Cf Pers. 778. — Andr. 481:

Adhuc, Archylis, quae adsolent quaeque oportent
Signa esse ad salutem, omnia huic esse uideo.

Acc. Praet. 29 sq.

In relatiua sententia continuanda casus pronominis relatiui differunt: Poen. 1205 sq., ubi similiter formantur:

Nimiae uoluptatist quod in extis nostris portentumst, soror,
Quodque haruspex de ambabus dixit.

Sic libri, G.-S., Leo. — Bothe, quem secuntur G.-L., Uss., Klotz, "Metr." p. 91, alii, *que* deleuit, cum in correptione mediae syllabae uerbi, quod est *haruspex,* offenderet. U. tamen Esch, De Plauti corr. sec. syll. p. 34. Cf supra p. 50 adn.

[1] Uariatio modorum in sententiis parallelis hodie neminem peritum offendet; constat enim Plautum et Terentium non raro siue pronomini relatiuo et interrogatiuo siue coniunctioni utrumque modum nullo, quod sentiretur, discrimine subiecisse. Cf Bx ad Mil. 518. Enunt. rel.: Pseud. 929 sq. Cas. 194, cf Thulin, De coniunctiuo Plaut. p. 11 sq. 167. Andr. 272 sq. Eun. 302 sq. 1045. — Interrog. obl.: Amph. 17. Cist. 57. Pers. 514 sq. Most. 199. (Mil. 516 sqq.). Most. 969. Andr. 649 sq. — Enunt. relatiua sententiam interrogatiuam excipit Andr. 536. — *Quia:* Bacch. 736. Neque tamen dubium est, quin metri necessitate coacti hanc illamue formam poetae saepe adhibuerint. Sed cauendum est, ne metri necessitati nimium tribuamus. Neque enim ad posteriorum scriptorum seueritatem leges sermonis Plautini et Terentiani constitutae sunt neque ad concinnitatem perfectionemque illorum loquendi consuetudinis hi peruenerunt. De aliis scriptoribus u. Madu. ad Cic. de fin. II 19. 61.

Poen. 1189:

. . . ut quibus annos multos carui quasque e patria
Perdidi paruas, redde his libertatem . . .

Pseud. 279:

Hunc pudet, quod tibi promisit quaque id promisit die,
Quia tibi minas uiginti pro amica etiam non dedit[1].

Haut. 444 sq.:

Commetare ad mulierculam, quae paululo
Tum erat contenta quoique erant grata omnia.

Men. 549:

Ut quantum possint quique liceant ueneant.

Cf Uss. et Niem. ad l. Alii *quique* pro *quicumque* positum esse putant, cf Neue-Wag. "Formenl."[3] II p. 497.

Rud. 389:

Quia leno ademit cistulam ei, quam habebat ubique habebat
Qui suos parentes noscere posset . . .

Tria pron. rel.: Asin. 150 quem . . . quem . . . quoique. Mil. 785 sq. quae . . . quae . . . quoique.

Stich. 2 sqq. in libris manu scriptis haec tradita sunt:

nam nos eius animum
De nostris factis noscimus, quarum uiri hinc apsunt,
Quorumque nos negotiis apsentum, ita ut aequomst,
Sollicitae noctes et dies, soror, sumus semper.

G.-S. initio uersus 4 crucem adfixerunt ad mendum grauius significandum. H. l. maxime in eo homines docti offendisse uidentur, quod duo relatiua, quae ad diuersas personas spectant, particula copulatiua coniunguntur. Quam structuram ut tolleret, Ritschl scripsit: *Quorum quidem;* Seyffert, cui codd. scriptura "geradezu unmöglich" uidetur, "Berl. phil. Woch." IV. p. 1130 *Eorumque* proposuit coll. locis, ubi pron. rel. excipitur pronomine dem.; quod etiam Ussingio placuit. Uerba tradita seruarunt Goetz et Leo, et recte quidem, ut mihi uidetur; nam ut concesserim structuram duriusculam uideri primum aspicienti et Plautum, si concinnitati consulere uoluisset, *Quaeque eorum* scribere debuisse, ita uereor ne temere poetae uerba mutauerint uiri docti, quem constat communi consuetudine sermonis populi

[1] Redslob, Ann. phil. t. CXLIII p. 216 coll. u. 622. Uidul. 90 proposuit: quamque ad promisit diem. Cf etiam Hauler ad Phorm. 524.

usum esse et legibus normisque nimis adstringi noluisse. Ita haud raro apud Plautum inuenimus sententias, si usque ad uiuum resecamus, male cohaerentes. Doleo quod mihi non contigit ut alia huiusmodi exempla apud Plautum inuenirem: sed apud amatorem illum puri sermonis locus exstat, qui ad codd. Plautinorum lectionem defendendam forsitan aliquid ualeat. Legimus enim Hec. 477 sq. in omnibus libris:

Sed quando sese esse indignam deputat, matri meae
Cui concedat cuiusque mores toleret sua modestia,

nisi quod corr. rec. A *que* (i. e. *Quae*) ex *cui* effecit, quod sensu caret. Constat autem lectiones correctoris rec. A haudquaquam spernendas esse, u. Hauler Phorm. p. 184 sq. Sed *cuiusque* corrector intactum reliquit. Neque uiri docti de *Quae* dubitarunt, quod uerum esse nemo non uidet, sed *cuiusque* omnium codicum fide munitum uariis modis uexare non destiterunt; Thomas unus nihil mutauit. Ut breui comprehendam: neque hunc neque illum locum coniecturis lacessendum esse puto: alter altero fulcitur.

Pronomen relatiuum non antecedit Curc. 473:

Ibidem erunt scorta exoleta quique stipulari solent.

2. Iam locos adferam, ubi relatiua *et* particula coniunguntur. Men. 90:

Dum tu illi quod edit et quod potet praebeas.

Pseud. 260. 440. Phorm. 1052 sq.

Trin. 488:

Nunc condicionem hanc, quam ego fero et quam abs te peto,
Dare atque accipere . . . te uolo.

Curc. 478 sq.:

Qui alteri de nilo audacter dicunt contumeliam
Et qui ipsi sat habent quod in se possit uere dicier.

Cas. 5 sq. Men. 79 sq. — Eun. 383 sq.:

Deducar et illis crucibus, quae nos nostramque adulescentiam
Habent despicatam et quae nos semper omnibus cruciant modis

Truc. 212:

Loquar libere quae uolam et quae lubebit.

Ad. 30.

In secundo enuntiato alius pronominis relatiui casus uel aliud pronomen relatiuum sequitur atque in priore:

Mil. 899:

em tibi adsunt
Quas me iussisti adducere et quo ornatu :: Eu, noster esto.

Asin. 137:

Ingrata atque inrita esse omnia intellego
Quae dedi et quod bene feci . . .

Andr. 484:

Quod iussi ei dari bibere et quantum imperaui.

Pron. rel. non antecedit Capt. 910:

Diespiter te deique . . . perdant . . .
Parasitosque omnes et qui posthac cenam parasitis dabit.

Pseud. 691. Hec. 557. Ad. 905.

3. *Atque* non inueni nisi uno loco, Pseud. 725 sq.:

Callidum, doctum, qui quando principium prehenderit,
Porro sua uirtute teneat, quid se facere oporteat,
Atque qui hic non uisitatus saepe sit.

Iam restat, ut eorum, quae adhuc disputata sunt, summam subducamus. Post *neque* particulam pronomen rel. non solet iterari (cf tamen Bacch. 617); nonnullis locis pron. rel. excipitur pronomine demonstratiuo uel personali, non solum in sententiis negatiuis, ubi casus inter se differunt — id quod Bach l. l. uoluit — sed etiam in sententiis affirmatiuis uel ubi idem casus sequitur. Si pron. rel. iteratur, particula copulatiua abest, si sententiae diuersa ratione ad correlatum referuntur, sed saepe omittitur, etiam ubi ad correlatum eandem habent rationem. Plerumque tamen additur particula in huiusmodi sententiis; quod autem Seyffert docet, *que* semper fere adhiberi, *et, atque* rarissime occurrere, id ita emendandum esse uidetur ut dicamus apud Plautum *que* in frequentissimo usu esse, *atque* perraro occurrere (Pseud. 725 sq.), *et* medium quendam locum tenere; apud Ter. *et* paullo usitatius est quam *que*. Duobus locis, Stich. 3 sq., Hec. 478, relatiua, quae ad diuersas personas spectant, *que* particula coniunguntur.

2. Interrogationes obliquae

nonnumquam dissolute componuntur, uelut Mil. 708 (cf p. 108):
Hi apud me aderunt, me curabunt: uisent quid agam, quid uelim.

Cf Capt. 376 quid . . . agitem et quid . . . uelim. — Andr. 170. Trab. 2.

Ad interrogationes obliquas coniungendas *et* saepius adhibetur quam *que:* Capt. 248:

Atque ut qui fueris et qui nunc sis meminisse ut memineris.

Asin. 140:

Ego edepol te faciam ut quae sis nunc et quae fueris scias.

Eodem fere modo inter se opponi uidentur praesens et perf. Most. 199:

. . . ex factis nosce rem: uides quae sim et quae fui ante.

Quem locum homines docti non destiterunt uariis modis mutare (cf Schoell in adn. crit.), cum in uariatione modorum offenderent. cf supra p. 118, Sonn. ad Rud. 356. Spengel et Meissner ad Andr. 650. Fuerunt, qui uerba tradita seruarent, sed ita interpungerent, ut uerba *et quae fui ante* pro exclamatione haberent, quod mihi quidem non arridet, cf Capt. 248. Asin. 140. Most. 149. Uix credo euinci posse codicum scripturam a Plautino sermone abhorrere. Cf etiam Seyffert. „Berl. phil. Woch“. IV p. 45 sq.

Trin. 6 quae . . . et quae. Asin. 6. Capt. 376. (Truc. 862). Phorm. 167 quid . . . et quid. Amph. 1133 quae . . . et quae. Asin. 302 quo . . . et quo . . .

Pronomina inter se differunt: Bacch. 664 quantum . . . et quid. Amph. 915 quid . . . et quo pacto. Cf Amph. 17. Pseud. 110. Rud. 1149. Haut. 7 sq. Eun. 519. Phorm. 381. 715. Acc. Trag. 180. 311. 485.

Phorm. 57 sq. in libris sic traditur:

Sed quid tu es tristis? : : Egone? nescis quo in metu et
Quanto in periclo simus : : Quid istuc est? : : Scies.

Hauler, qui nouissimus hanc fabulam edidit, cum Conradtio (Herm. t. X p. 108), Dziatzkone, aliis particulam sustulit: „das Asynd. ist rhetorisch gefärbt“. Concedo asyndeton prorsus Terentianum esse, sed idem existimo traditam scripturam seruandam esse, primum quod *et* in fine uersus non semel posuit poeta, tum quod duobus aliis locis particulas usurpauit, Hec. 875 sq.:

Nescis, Parmeno,
Quantum hodie profueris mihi et ex quanta aerumna extraxeris.

Andr. 649 sq.:

Habeas :: Habeam? ah, nescis quantis in malis uorser miser,
Quantasque hic consiliis suis [mihi] conflauit sollicitudines.

Que legitur u. gr. Curc. 372:

subduxi ratiunculam
Quantum aeris mihi sit quantumque alieni siet.

Poen. 1245 quo modo . . . quoque modo, cf Most 1124. — Inc. Inc. Trag. 194 sq. quam . . . quamque. Amph. 105 quam . . . quantusque. — Andr. 649 sq. u. supra.

3. Sententiae *ut* particula illatae

nonnumquam componuntur nulla addita coniunctione, non solum ubi altera alteri subiuncta est, uelut Phorm. 784 sq.:

. . . fac illa ut placetur nobis,
Ut sua uoluntate id, quod est faciundum, faciat . . .

cf Amph. 388. Capt. 366 sq. Eun. 1058 sq., al., sed etiam ubi inter se aequales et pares sunt: Merc. 704:

Em, quoi decem talenta dotis detuli,
Haec ut uiderem, ut ferrem has contumelias,

ubi asyndeton ad magnam eius, qui loquitur, animi commotionem optime quadrat. Cf Amph. 1056. Asin. 239. Mil. 1190. Pseud. 578. Plerumque tamen eiusmodi enuntiationes particulis coniunguntur.

a. Sententiae particula *ut* illatae per *atque* coniungi solent ita ut particulam copulatiuam posterius *ut* excipiat nullo uocabulo inserto. Cf Seyffert, "Berl. phil. Woch." V p. 997.

Sententiae finales et consecutiuae: Aul. 42 sq.:

Nam cur me miseram uerberas? :: Ut misera sis
Atque ut te dignam mala malam aetatem exigas.

Bacch. 527. Men. 427. Mil. 1186 sq. Pers. 696 (cf Seyffert l. l.). Poen. 1020. Pseud. 1154 sq. Rud. 1218 sqq. Stich. 193 sq. Truc. 86 sq. — Epid. 277 sq. (*ut* adhortantis uel iubentis esse docet Dahl, "Die lat. Part. ut" p. 295, cf Uss. ad Epid. 268). — Amph. 126 sq. *Ut . . . atque ut ne,* cf Bacch. 751.

Capt. 247 sq.:

Ne me secus honore honestes quam quom seruibas mihi
Atque ut qui fueris et qui nunc sis meminisse ut memineris.

De *ut* duplici cf Bx-Niem. ad l. Lindskog, "Beitr. zur Gesch. der Satzstell. im Lat." p. 60. — Cas. 431. Most. 1145. — *Ut ne . . . atque ut,* Bacch. 873 sqq., cf ib. 750.

Ut relatiuum et interrogatiuum: Men. 365:

Ut iussisti atque ut uoluisti.

Most. 149:

Cor dolet, quom scio ut nunc sum atque ut fui.

Asin. 148. Cist. 26. Men. 571 sq. (*ut* exclamantis est, Dahl, l. l. p. 13). 753. Pers. 671 b. Rud. 901. Eun. 870. — Merc. 880, u. Leo. Most. 932:

Dicam ut hinc res sint quietae atque ut < ego > hunc hinc amouerim

Sic Seyffert Palatinorum scriptura nisus h. u. edi iubet "Berl. phil. Woch." V p. 997; cf Ann. Burs. t. LXIII p. 15 adn. Plurimi edd. Ambrosiani lectionem receperunt: *atque hunc ut hinc amouerim;* cf exx. paullo infra adlata.

De nonnullis structuris uariatis pauca adferam, cf Persson Adn. Plaut. p. 8 sqq. — Constat uerbum, quod est *facere,* modo cum *ut* et coniunctiuo, modo cum nudo coniunctiuo iungi. Uariat structura in sententiis contiguis Amph. 981 sqq.:

. . . haec curata sint Fac sis . . .

Atque ut ministres mihi, mihi quom sacruficem.

Uerbo *iubere* apud Plautum modo infinitiuum adiungi, modo coniunctiuum *ut* particula uel addita uel omissa monet Lor. ad Most. 930. *Ut* cum coni. et infinitiuus se excipiunt Pseud. 1150 sq.:

Hoc tibi erus me iussit ferre Polymachaeroplagides

Quod deberet, atque ut mecum mitteres Phoenicium.

Sententia particula *ut* illata enuntiationem relatiuam excipit Mil. 768:

. . . inueni lepidam sycophantiam

Qui admutiletur miles usque caesariatus, atque uti

Huic amanti ac Philocomasio hanc eficiamus copiam

Cf Lor. et Bx ad l., Dahl l. l. p. 190. — In sententia adhortatiua Plautus structuras uariat Epid. 267 sqq:

Continuo arbitretur uxor tuo gnato atque ut fidicinam

. . . Ulciscare atque ita curetur . . .

Iam nonnullos locos adferam, ubi *atque* et *ut* uocabulis insertis dirimuntur: Men. 892 sq.:

Quin ea te causa duco, ut id dicas mihi
Atque illum ut sanum facias.

Stich. 653:

... nam Sticho mandaueram
Salutem ut nuntiaret atque ei ut diceret.

Amph. 380:

Ita di faciant, ut tu potius sis atque ego te ut uerberem.

Men. 525 sq. Asin. 21 sq. Trin. 643 sq. Andr. 626 sq.

Uariatae structurae exemplum exstat Rud. 630 sqq.:

... si speras tibi
Hoc anno multum futurum sirpe et lasserpicium
... Atque ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi;

ut a *speras* pendere ostendit Persson l. l. p. 15. Cf etiam Dahl l. l. p. 273.

b. *Et* particulam excipit *ut* in sententia adhortatiua Pers. 151 sq.:

Sed longe ab Athenis esse se gnatam autumet,
Et ut adfleat, quom ea memoret.

Ut relatiuum et interrogatiuum: Amph. 4. 8. Pers 380 sq.

Phorm. 759:

... offendi aduenien[s]
Quocum uolebam et ut uolebam conlocatam gnatam.

Haut. 1040:

... non quaeris, patri
Quo modo obsequare et ut serues quod labore inuenerit.

Seiunguntur autem particulae interpositis uocabulis Pseud. 633:

Potest ut alii ita arbitrentur et ego ut ne credam tibi.

Capt. 907 sq. Cas. 706. Haut. 867 sq. Phorm. 512. Ad. 857 sq.

Pers. 327:

... comparaui Quo pacto ab lenone auferam hoc ...
Et mulier ut sit libera ... Cf Eun. 127 sq.

Andr. 515 Terentius mixta structura scripsit:

... missast ancilla ilico
Obstetricem accersitum ad eam et puerum ut adferret simul.

c. *Utque* a sermone Plautino et Terentiano abhorret (cf Seyffert, "Berl. phil. Woch." VI p. 335)[1]. Quae cum ita sint, si huiusmodi sententiae per *que* coniunguntur, *ut* subsequi solet uocabulum, ad quod *que* particula adplicata est. Iam exempla adferam:

Mil. 411 sq.:

Inde ignem in aram, ut Ephesiae Dianae laeta laudes
Gratesque agam eique ut Arabico fumificem odore amoene.

Pseud. 930:

Ipsus sese ut neget esse eum qui siet
Meque ut esse autumet qui ipsus est . . .

Truc. 798:

Puer ut afferretur eaque ut celarentur omnia.

Hoc quidem loco poeta metro non coactus est *utque* spernere. Cas. 817 sqq. Merc. 678 sqq. Pseud. 192. Rud. 698. Trin. 40 sqq. 120 sqq. Truc. 202. Haut. 367 sq. Hec. 56. Cf. Pac. Trag. 234. Acc. Trag. 117. Enn. Ann. 333 M. — *Ut* ui temporali praeditum est Amph. 733 sq.

Per coniunctiuum nudum et sententiam *ut* particula illatam respondetur ad quaestionem illam *numquid aliud?* (u. infra in app.) Poen. 911 sq.:

Ita dei faxint. numquid aliud? me morare, Milphio.
: : Ualeas beneque ut tibi sit.[2]

Nonnumquam fit, ut uocabulis interpositis dirimatur *ut* particula a uerbo, cui *que* adhaeret, uelut Rud. 276:

Ut tuo recipias tecto seruesque nos
Miseriarumque te ambarum uti misereat

Poen. 951 sq. Mil. 1230. — Poen. 559 sq. Plautus in eodem orationis tenore structuras uariat ita ut se excipiant enuntiatio relatiua et sententia particula *ut* illata:

Quo modo trecentos Philippos Collabisco uilico
Dederis, quos deferret huc ad lenonem inimicum tuom
Isque se ut adsimularet peregrinum aliunde ex alio oppido.

[1] Sed in argumentis nonnumquam inuenitur. cf Arg. Truc. 3. 10.

[2] Leo, de fig. serm. I p. 42 docet ab *ut* coniunctione duo uerba pendere ita ut particula illa ἀπὸ κοινοῦ posita sit Poen. 912. Epid. 267 sq. (u. p. 124). Amph. 9: Me adficere uoltis, ea adferam, ea uti nuntiem Quae . . . Sed multo uerisimilius est Plautum his locis in sententiis contiguis structuras uariasse; cf quae de hac re uberius disputauit Persson l. l. p. 6 sqq.

4. De aliis quibusdam sententiis secundariis.

Quom. Dissolute componuntur sententiae Capt. 434 sq.:

Ne tu me ignores, quom extemplo . . . abscesseris,
Quom me seruom in seruitute pro ted hic reliqueris.

Cf Acc. Trag. 346. Plerumque tamen *que* additur, uelut Capt. 356:

Quom me tanto honore honestas quomque ex uinclis eximis.

Bacch. 140 sq. Mil. 1071 sq. cf Skutsch, "Forsch." I p. 153. Truc. 384 sq. 516; cf Capt. 923 sqq. *Quom . . . et quom* Bacch. 140 Goetz. *Et quom . . . et quom* Amph. 681. *Quod . . . quodque* legitur Mil. 504 sqq., cf Skutsch l. l. *Quia:* asyndeton, Mil. 1033, ubi membra inter se respondent:

Quia tis egeat, qnia te careat: ob eam rem huc ad te missast.

Quia . . . quiaque Truc. 289 sq., cf Cist. 126 sq. *Quia . . . et quia* Bacch. 736. (Andr. 121 sq.)

Quin: Curc. 287:

Quin cadat, quin capite sistat in uia de semita.

Pers. 12. Turp. 148; Most. 148 Ritschl *Quin* deleuit. Cas. 505 sq. *Quin . . . quinque.*

Sententiae *quasi* particula illatae componuntur sine coniunctione Poen. 272:

Propudium? quasi bella sit, quasi eampse reges ductitent.

Stich. 77 Leo sic formauit, cf "Gött. Nachr." a. 1895 p. 420:

Quasi numquam quicquam in eas simulem, quasi nil indaudiuerim.

Saepius additur *que,* Pseud. 635:

Immo uero quasi tu dicas quasique ego autem id suspicer.

Epid. 275 sq. Mil. 909 sqq. 1170 sq. — Fortasse etiam Amph. 684 *quasique* legendum est pro *quasi qui:*

Sic salutas atque appellas, quasi dudum non uideris,
Quasique nunc primum recipias te domum . . .

Sic Cam., Leo, Palmer. — Uerbum *simulare* Plautus non solum cum *quasi* coniungere solet, sed etiam cum acc. c. inf., u. Persson, Adn. Plaut. p. 16. Duobus locis mixtam structuram inuenimus, Mil. 1163 sq.:

Nempe ut adsimulem me amore istius differri :: Tenes.
:: Quasique istius causa amoris . . . Abierim . . .

ib. 796 sqq. — *Quasi . . . et quidem quasi* Poen. 600 sq.

Etiam sententiae a *dum* incipientes uariis modis componuntur, Curc. 36 sq.:

Dum ne per fundum saeptum facias semitam,
Dum ted abstineas . . ., ama quidlubet.

Pseud. 1126 sq. Leo. Truc. 713. Haut. 240. 987[1].

Mil. 197:

Dum ego mihi consilia in animum conuoco et dum consulo.

Stich. 701:

Sed amica mea et tua dum cessat dumque se exornat . . .

Andr. 443. 556 sq. Haut. 1058 sq. Phorm. 519 (codd. Call.).

Antequam ad proximum caput transeo,

De correlatione

pauca addam. — Constat scriptores Romanos notiones, de quibus idem ualet, per *et* . . . *et* coniunxisse quo accuratius significarent alteram alteri exaequari: haud raro antecedit uocabulum, cui comprehendendi uis subiecta est (*uterque, ambo, omnis* sim.) Nonnullis locis *-que* . . . *-que* uel *-que et* apud poetas scaenicos exstant. Nihil interest, quid uocabula illa significent.

Et . . . et.

1. Uocabula contrariae notionis.

Rud. 825:

Ita nunc mihi utrumque saeuit, et terra et mare.

Most. 1047:

Eaque eduxi omnem legionem, et maris et feminas.

Bacch. 425. Cist. 69. Mil. 965. Most. 612. 631. Ad. 902. Naeu.

[1] Huc non pertinet Truc. 232:

Necumquam erit probus quisquam amator nisi qui rei inimicust suae:
Dum habeat, dum amet: ubi nil habeat, alium quaestum coepiat.

ubi *dum* et *dum* inter se respondent ut nostrum: "så länge som . . . så länge". Cf Catull. 62: 45:

Sic uirgo, dum intacta manet, dum cara suis est;

ubi prius *dum* significat quoad, sequens *usque eo*. Cf Quint. IX 3. 16. Schmalz, Synt.[3] p. 390.

95. Pac. 308. Caec. Stat. 93. — Rud. 68 T (cf Ritschl Op. II 420):

Tetuli et ei auxilium et lenoni exitium simul.

Ceteri codd. *Tetuli et.* — Adiectiua, Capt. 993:

Et miser sum et fortunatus, si <istaec> uera dicitis.

Eun. 258. — Aduerbia, u. p. 53; Curc. 680. Cf Cist. 688. Poen. 26. Uerba, Capt. 750. Trin. 461. — Rud. 569:

Iuppiter te perdat, et si sunt et si non sunt, tamen.

2. *Uocabula, quae eadem fere significatione praedita sunt,* per *et* ... *et* copulari posse negat Langen, "Beitr." p. 104: "Capt. 429 ist *et operis et factis* unmöglich richtig, da beide Wörter denselben Begriff ausdrücken, die Verbindung durch *et* ... *et* aber unbedingt zwei verschiedene Begriffe voraussetzt". Sed Langenum opinionis errore duci ostendit Seyffert, "Berl. phil. Woch." VII p. 815.

Capt. 429 G.-S. sic ediderunt:

Istaec dicta: te experiri et opera et factis uolo.

operis B, *opera* cett. codd. — Aul. 535:

Dotatae mactant et malo et damno uiros. Cf p. 20.

Pseud. 699:

Nam et amicum et beneuolentem ducis ...

Stich. 109:

Facile inuenies et peiorem et peius moratam, pater.

Poen. 1170:

... quod ego dixi per iocum
Id euenturum esse et seuerum et serium.

Poen. 589, u. p. 109. — Mil. 1228:

Ueneri pol habeo gratiam eandemque et oro et quaeso.

Cf etiam Bacch. 949. Capt. 1017. Men. 731 (cf Gimm l. l. p. 14). Pers. 67 (cf Maurenbrecher l. l. p. 46). Poen. 162. 1030. 1032. Stich. 423. Hec. 64. Ad. 609. Pac. Trag. 32. — Amph. 231 Bothe *et* addidit: Pro se quisque id quod quisque <et> potest et ualet, Edit ... quod Palmer et G.-S. receperunt.

3. *Uocabula diuersae significationis* permultis locis hoc modo coniuncta exstant. Poen. 332:

Salue extra pretium :: Tum pol ego et oleum et operam perdidi.

Cf Woelffl. All. p. 72. Aul. 578. Rud. 24. 900. Satis erit locos enumerasse: Amph. 40. 974. Asin. 359. Aul. 451. Capt. 412. 626. 822. 976. Curc. 215. 297. 488. 523. Men. 1083. Mil. 85. 533. Merc. 2. Most. 28. 80. Pers. 831. Poen. 88. 134. 425. Pseud. 300. Rud. 396. 990. Trin. 382.

Pers. 675:

. . . Siquid bonis Boni fit, esse id et graue et gratum solet.

Cf Persson l. l. p. 28. — Amph. 630. Cas. 81. Cist. 149.

Most. 364:

Philolaches : : Quid est? : : <Et> ego et tu — : : Quid et ego et tu? : : Periimus.

Amph. 699. 1065. Asin. 517. Bacch. 886. 1051. Capt. 332. 447. Mil. 428. 684. Most. 1179. Pers. 647. Pseud. 277. Rud. 1260. Stich. 515. Truc. 158. — Trin. 1102:

. . . sed intus narrabo tibi Et hoc et alia.

Capt. 942. Men. 528. Trin. 246. 1184; cf 555. — Amph. 878 sq. Cist. 57. Men. 644. Poen. 6. Trin. 355 sq.

Poen. 282:

Deos quoque edepol et amo et metuo, quibus . . .

Most. 701. Pers. 189. Truc. 486. — Amph. 111. — Exx. Terentiana haec sunt: Haut. 115. 936. Phorm. 340. Hec. 263. 585. Ad. 910 (subst.). Phorm. 94 (adi.). Hec. 531 (adu.) Andr. 642. Hec. 249. Ad. 925 (pron.). Haut. 218. Eun. 750 (ub.). Andr. 288 (praep.)

que . . . que.

Schmalz, Synt.[3] p. 343 sq. haec docet: "Die Verbindung mit *que . . . que* ist alt, schon bei Ennius und Terenz zu treffen". Mirum uidetur, quod uir ille doctissimus Terentium nominauit — de Ennio u. infra —, Plautum silentio praeteriit, cum hic fere decies, ille semel hac structura usus sit.

Amph. 168, u. p. 3. Cist. 20, p. 5. — Trin. 645:

Tibi paterque auosque facilem fecit et planam uiam.

Sic P; *pater auusque* A. — Cas. 51 paterque filiusque. Rud. 349 auxilique opumque. ib. 369 uentisque fluctibusque. ib. 1145 opesque spesque. Trin. 877 liberosque bonaque. — Men. 590, u. p. 46. — Stich. 103 nosque teque. — Amph. 7:

Quasque incepistis res quasque inceptabitis.

Eun. 748:

Educta ita uti teque illaque dignumst . . . δ *te illaque.*

Acc. Trag. 80 O dirumque hostificumque diem, 612 languentque senentque[1].

Haec fere sunt exempla apud poetas scaenicos. Constat autem *que . . . que* in magno usu fuisse cum apud alios epicos poetas tum apud Ennium, qui uersu heroico primus usus est. Itaque Ennius, qui in fragm. fabularum (400 u.) structura illa nusquam usus esse uidetur, in fragm. Annalium (600 u.) fere decies *que . . . que* posuit, imprimis in exitu uersus: 183 M. 219. 220. 288. 303. 309. 310 b. 385. 421. 454. Heduph. 9.

-que et.

"Die Verbindung *-que et* ist im Altlat. sehr selten (Plaut. Mil. 1347 Brix, Ter. Hec. 488)", Schmalz l. l. Sed apud Plaut. et Ter. *-que et* paullo usitatius est quam *-que . . . -que;* in Annal. Ennianis unum ex. inueni. Saepius in clausula ponitur quam in medio uersu. Cf etiam Hauler ad Phorm. 1051.

Cas. 823. Cist. 276, u. p. 3. Amph. 5:

Bene expedire uoltis, peregrique et domi.

Asin. 283 gnatoque et patri. Mil. 1315 Materque et soror. Rud. 705 mihique et uobis. Stich. 661 mihique et tibi. Most. 406, u. p. 64. Capt. 313 auditque et uidet. Poen. 13 uiuisque et colis. Minus certa sunt haec exempla: Truc. 395:

Ut esset aliquis laqueus et redimiculum.

Sic edd., B *aliqui si aqueust* CD . . . *aque usq est,* quibus nisus Seyffert, Stud. Plaut. p. 28, proposuit: *laqueusque et redimiculum,* quod cum per se ferri possit, dissuadet sincerior codicis B memoria. Mil. 1348:

Metuoque et timeo, ne hoc tandem propalam fiat, nimis.

---

[1] Nonnullis locis homines docti *que* addito hiatus remouere uoluerunt uelut Stich. 374, u. p. 25 adn. Aul. 5, cf Maurenbrecher l. l. 209. 214:

Patri <que> auoque iam huius qui nunc hic habet,

ubi Sydow, "Zum Gebr. v. *adeo* bei Plaut." p. 6 nuper proposuit: *Patri adeo . . .* — Merc. 830, cf Maurenbrecher l. l. p. 46. 52. — Cist. 524 Schoell sic formauit suadente Seyfferto:

Nisi ego teque tuamque filiam aeque hodie obtruncauero,

quod etiam Sigismund, "N. ph. Rsch." a. 1895 p. 152 probauit; codd. *meque hodie.*

Sic plurimi edd. Codd. *ut metuo;* cf Goetz ad l. U. 1347 excidit.

Exempla Terentiana haec sunt: Andr. 676. Eun. 1079 δ E, u. p. 3; Ad. 64, p. 16. Phorm. 1051 Faciamque et dicam. Eun. 876 accipioque et uolo. Cf etiam Pac. Trag. 340:

Quamquam annisque et aetate hoc corpus putret.

ib. 412:

Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbum obcaecat nigror.

Enn. Ann. 300 M. malaque et bona dictu. De Poen. 3. Hec. 488 u. infra. *-que atque* apud poetas scaenicos uix credo inueniri, quamquam Uss. ad Mil. 623 compositionem illam probare uidetur; cf etiam Munro ad Lucr. V 31. Draeger Synt. II p. 81 et Kühner II p. 652 docent *et . . . -que* componi Enn. Ann. 194 M., quem uersum Mueller sic edidit:

Hos egomet pugna uici uictusque sum ab isdem

ubi codd. *ego in pugna* praebent. De Amph. 267 u. Leo ad l.

qua . . . qua

nonnullis locis adhibetur ad uocabula contrariae significationis copulanda uelut Mil. 1113:

Qui consectare qua maris qua feminas.

Cf ib. 1392 qua uiri qua mulieres. Trin. 1044:

Mores autem rapere properant qua sacrum qua publicum.

Inc. Inc. Com. 27:

. . . omni modo ames qua ioco qua serio[1].

[1] Contra codicum consensum etiam aliis locis homines docti *qua . . . qua* inseruerunt. Uelut Lor. in ed. sua (cf. Mueller "Pros." p. 564) Most. 1047 sic formauit: . . . *omnem legionem qua maris qua feminas*, quod Klotz "Metr." p. 152 recte reiecit; codd. *et . . . et* praebent, u. p. 128. De Men. 666 u. p. 110; mutatio prorsus superuacanea est. Etiam Pers. 67 Seyffert, Philol. t. XXXVI p. 284, uoluit *qua . . . qua* pro *et . . . et* substituto hiatum tollere, ubi *qua . . . qua* minime locum habet.

Cap. secundum: De tribus uocabulis inter se componendis.

I. Asyndeton.

Asyndeti bimembris usum in uetustissimo sermone Italorum multo frequentiorem fuisse quam apud aureae quae uocatur aetatis scriptores supra monui. Trimembris autem asyndeti longe alia ratio est: apud omnes fere scriptores terna uocabula saepissime enumerantur nulla addita coniunctione. De formulis sollemnibus cf Norden, De Min. Fel. aetate et gen. dic. p. 47.

Substantiua inter se contraria sunt Amph. 1055:

Ita mihi uidentur omnia, mare, terra, coelum consequi

Cf Trin. 1070. Enn. Trag. 238. Dub. 4 M. Afran. 9.

Eadem fere significatione praedita sunt Amph. 196:

Ut gesserit rem publicam ductu, imperio, auspicio suo.

Cf C. I. L. I 541 ductu, auspicio imperioque eius . . . Adiectiua substantiui uice fungentia exstant Merc. 891:

Ego istum in tran<quillo> quieto tuto sistam: ne time.

Sic Seyffert, Stud. Plaut. p. 21 [1]. — Stich. 281.

Nonnumquam uocabula continentur allitteratione, uelut Merc. 674 (cf Woelffl. All. p. 16):

Et eodem accedit seruitus, sudor, sitis.

uel alia quadam similitudine soni, uelut Bacch. 944, ubi poeta Chrysalum inducit exsultantem:

Exitium, excidium, exlecebra fiet hic equos hodie auro senis.

Cf Cas. 623. 837. Pers. 168. Rud. 215. Pac. Trag. 275. Talia exempla apud Ter. haud multa exstant; cf Eun. 1035.

[1] Uss. *tuto* pro aduerbio habet; cf tamen exempla qualia sunt Merc. 382 res . . . in tutost; Haut 689: Nam amici quoque res est uidenda in tuto ut conlocetur. Cf Haut. 695. 708. Phorm. 734. Ad. 267.

— Saepius autem bina uocabula artius cohaerent uel significatione uel sono: Poen. 1401:

Aurum, argentum, collum, leno, tris res nunc debes simul.

Andr. 54:

Dum aetas metus magister prohibebant . . . Cf Don.

Asin. 133 (cf Leo, De fig. serm. I p. 12). Cist. 93. Men. 170 (cf Bx ad l.). Merc. 861. Most. 126. Pers. 253. Poen. 48. Pseud. 70. 180. Rud. 224 P. Truc. 318 (cf Leo, De fig. serm. II p. 30). Andr. 718. Haut. 252. Eun. 242. Acc. Trag. 94. — Si in uersibus contiguis collocantur uocabula, ea, quae artius cohaerent, non solent uersus fine dirimi: Stich. 380 sq.:

Poste, ut occepi narrare, fidicinas tibicinas
Sambucas aduexit secum . . .

Amph. 882 sq. (cf u. 898). Curc. 343 sq. Haut. 967 sq. Cf Caec. Stat. 208 sq. Cf tamen Pseud. 326 sq.:
. . . ei, arcesse hostias, Uictumas, lanios, ut ego huic sacruficem . . .
Cf Andr. 937 sq.

Reliqua quae adnotaui exempla hic in unum conferre liceat: Asin. 803. Bacch. 88. 378. Curc. 366. Epid. 725. Most. 47. Stich. 659. Trin. 285. 596. Truc. 938. Andr. 844. 891. Eun. 937. Hec. 859. Ad. 529 (cf Norden l. l.). 856. Nomina propria: Capt. 657. Merc. 867. Andr. 18. Eun. 772.

Adiectiua idem fere significant Poen. 130:

Saepe ego res multas tibi mandaui, Milphio,
Dubias, egenas, inopiosas consili.

Amph. 268. Pseud. 724 sq. u. infra. Rud. 257. Phorm. 751. Similitudinem soni animaduertere licet Mil. 544:

Me fuisse excordem, caecum, incogitabilem.

Curc. 115. Mil. 191. Eun. 688. Bina allitteratione cohaerent Epid. 222:

Sed uestita, aurata, ornata ut lepide, ut concinne, ut noue.

Pers. 760. Pseud. 659. Stich. 737. Uersu seiunguntur Pseud. 724 sq.:

. . . Qua facie? : : Malum, Callidum, doctum, qui . . .

Most. 274 sq. 562 sq. Haut. 294 sq. Ad. 721 sqq., u. Dz. in adn. crit. p. 109. Caec. Stat. 200. Trin. 768 sq., u. praef. ed.

min. p. VI. — Cf etiam Men. 864. Rud. 314. Andr. 257. Eun. 1079.

Aduerbia. Rud. 193:

Tum hoc mihi indecore, inique, inmodeste Datis di.

Eun. 427, cf Mil. 1161, u. infra.

Uerba. Pers. 331:

Ut mihi supersit, suppetat, superstitet.

Plautus tragicum stilum imitatus esse uidetur, cf Rbk ad Inc. Inc. Trag. 228. — Asin. 784:

Neque illa ulli homini nutet nictet annuat.

Capt. 359 = Mil. 256. Merc. 360. 833. Pers. 333.

Trin. 698:

Scio equidem te animatus ut sis: uideo, subolet, sentio.

Cf p. 72. — Andr. 889:

Immo habeat, ualeat, uiuat cum illa . . .

Cf p. 70. — Cf Aul. 453. 713. Cas. 248, cf Liv. Andr. Com. 5. Capt. 895. Men. 114. Mil. 69. Merc. 115 sq. Most. 37. Poen. 146. Pseud. 1270. Trin. 1118. Truc. 312. 478. Ad. 134. Haut. 465. Enn. Trag. 297. Acc. Trag. 304, al. In sententiis secundariis: Bacch. 817. Epid. 571. Poen. 603. Haut. 592. Hec. 65. Pac. Trag. 297. — Praeterea multis aliis locis tria uerba enumerantur, sed uix opus esse uidetur omnia exempla adferre. Id solum moneo, Terentium haud raro uerba dissolute componere in narrationibus (cf p. 102 sq.), uelut Phorm. 103 sq.:

'Eamus; duc nos sodes'. Imus, uenimus, Uidemus . . .

Eun. 593:

Iit, lauit, rediit; deinde eam in lecto illae conlocarunt.

Cf Fabia ad l. Phorm. 135. 867. Haut. 124. Ad. 474. al.

II. Particula copulatiua coniunguntur

1. Posteriora membra.

Grammatici docent plus duo membra plerumque sic coniungi, ut aut nusquam aut ubique *et* ponatur aut membrum extremum adnectatur *que* particula. Nam quibus locis Ciceronianis de tribus membris id quod extremum est particula *et*

aduecti uidetur, eis rectius duo membra distingui quam tria ostendit Hellmuth, Act. Sem. Erl. I p. 148. Sed apud poetas scaenicos *que* non usitatius est quam ceterae particulae: saepe bina uocabula artius cohaerent, siue ea, quae dissolute componuntur (cf Stich. 447), siue ea, quae particula coniunguntur (Capt. 873).

Ét.

Substantiua. Draeger Synt. II p. 3 ex fabb. Plaut. unum exemplum adnotauit, Men. 222, ubi legimus:

Ego et Menaechmus et parasitus eius : : Iam isti sunt decem.

Ritschl sine iusta causa prius *et* sustulit. Cf etiam Asin. 571:

Ubi eris damno molestiae et dedecori saepe fueris,

ubi Klotz "Metr." p. 330, G.-L., G.-S. Bothio duce *et* inter priora membra inseruerunt, ne *damno* uocis posterior syllaba acueretur. Nihil mutarunt Uss. et Leo.

Merc. 548:

Uoluptate, uino et amore delectauero.

ib. 678 sq.:

Apollo, quaeso te, ut des pacem propitius,
Salutem et sanitatem nostrae familiae.

Cf Amph. 1011. Pseud. 44. 581 sq. Poen. 1014. Trin. 142. 656. Turp. 110. Titin. 147.

Adiectiua et aduerbia. Capt. 873:

Tuom modo in portu Philopolemum uiuom, saluom et sospitem
Uidi . . . Cf p. 41.

Rud. 1198. — Poen. 1221; cf Mil. 739.

Uerba. Ad. 988:

Sed ex adsentando, indulgendo et largiendo, Micio.

Fuerunt, qui particulam expellerent, cf Dz. ad l. Cas. 87. Curc. 281. Merc. 497. Mil. 1032. Most. 682. Andr. 24. 523. Eun. 467. Ad extremum moneo structurae, de qua disputaui, etiam apud Uarronem haud pauca exempla exstare, cf Krumbiegel, De Uarr. scrib. genere quaest. p. 25 sq. De usu Taciteo cf Heraeus ad Hist. I 51. Nipp.-Andr. ad Ann. II 81.

Atque.

Substantiua. Draeger l. l. p. 54 duo exempla adnotauit, Pseud. 182. Men. 174 (pron.) Addo haec: Bacch. 1181:

I hac mecum intro ubi tibi sit lepide uictibus, uino atque unguentis.

Haut. 893:

Sponsae uestem aurum atque ancillas opus esse . . .

Sic AGD[1]; ceteri codd. *atque* omis. Bacch. 1113. Capt. 672 (ap. Non.). Haut. 777 sq. 845 A. Ad. 846. Enn. Trag. 20. De Mil. 1132 sq. u. p. 33.

Adiectiua et aduerbia Haut. 526:

Sed habet patrem quendam, auidum miserum atque aridum.

Hunc locum Bothe, quem secuntur Dz. et Fleck., ita mutauit ut scriberet: *auidum misere atque aridum.* Quod nullo modo probari potest. Nam in particula non est offendendum; accedit quod *misere* aduerbium apud Ter. cum uerbis semper coniunctum esse uidetur: *misere amare* Andr. 520. Haut. 190. Ad. 667; *cupere* Ad. 522. 698; *inuidere* Eun. 412; *orare* Haut. 366; *terere* Eun. 68. De adiectiuo cf Eun. 418 sq. Plautus *misere* uerbis affectuum similibusque non solet adponere, cf Seyffert, Stud. Plaut. p. 8 sq.; de uerbis malae notionis cf Gehlhardt l. l. p. 41 (Asin. 121. Pseud. 4. Truc. 565. 632); cum adiectiuis *misere* componit in gradatione etymologica Aul. 721. Cist. 689. Pseud. 13. Cf etiam Aul. 731. — Rud. 1240:

Ille qui consulte, docte atque astute cauet.

Enn. Ann. 107 M.:

Quod . . . Se fortunatim, feliciter ac bene uortat.

Pronomina, Curc. 74:

Me, te atque hosce omnis . . .

Uerba. Stich. 447:

Potare, amare atque ad cenam condicere.

Phorm. 309:

Abi, Phaedria, eum require atque huc adduce : : Eo.

Cf Asin. 382 sq. Merc. 570 sq. Trin. 863. Truc. 968. Andr. 594. Haut. 533 sqq. Sed Most. 523 uersus particulam non patitur:

Quid faciam? : : Caue respexis, fuge, [atque] operi caput.

Obiter moneo Sallustium *atque* particula posteriora membra

saepius coniungere quam per *que, et,* cf Bökman, De part. cop. apud Sall. p. 6.

-que.

Substantiua. Capt. 517:

Nunc spes opes auxiliaque a me segregant spernuntque se.

Asin. 554. Merc. 19. Mil. 107. 656. Most. 1160. Pseud. 173. Naeu. Com. 56. Enn. Ann. 359. M.

Mil. 919 Hasper nuper emendauit (cf "Woch. f. kl. Phil." XVI p. 119):

Adsunt famuli fabri architectique ad rem haud inperiti.

B *muliebria architectique.* Ceterorum conata u. apud Goetzium.

Adiectiua. Pac. Trag. 369:

. . ., quia atrox incerta instabilisque sit.

Cf Poen. 1240. *Pronomina:* Poen. 1253, p. 64.

Uerba: Pac. Trag. 365:

Solatur auxiliatur hortaturque me.

Cf Rud. 769. Hec. 92. — Cas. 768:

Uestitus lautus exornatusque ambulat.

Sic A, "quamuis dubia Q", Schoell in adn. crit. Iam ad eos locos pergamus, ubi

2. Priora membra coniunctione copulantur.

Nonnumquam fit, ut priora uocabula particula copulatiua coniungantur, tertium ἀσυνδέτως addatur, uelut Capt. 911:

Clades calamitasque intemperies modo in nostram aduenit domum.

Uocabula illa arte cohaerent, cf u. gr. Sall. Cat. 39. 4 . . . magna clades atque calamitas rem publicam oppressisset. Quod etiam de Rud. 930 ualet:

Iam ubi liber ero, igitur demum instruam agrum atque aedis, mancipia.

Cf *fundi et aedis* p. 25, Sonn. ad l. — Most. 630, u. p. 38. Priora uocabula a tertio seiunguntur fine uersus Stich. 693 sq., u. p. 32, cf Rud. 1169 sq. p. 31.

A et P inter se discrepant Rud. 224:

Quaerere conseruam uoce, oculis, auribus, ut peruestigarem.

Sic edd. cum P; A *oculisque,* quod cur recipiamus nulla causa esse uidetur. — Poen. 385 P:

Etiam ocellum addam et labellum et linguam :: Ecquid facies modi?

ubi A posterius *et* omis., cf praef. ed. min. p. VIII. — De Mil. 1042 u. infra.

Adiectiua hoc modo composita non inueni; cf Cato Fragm. 110 ed. P.: Fluuium Hiberum; is oritur ex Cantabris, magnus atque pulcher, pisculentus. Sed in fragm. 97 legimus: Fluuium Naronem, magnum pulchrum pisculentum.

Uerba. Amph. 984:

Concedite atque abscedite omnes, de uia decedite.

Aul. 273:

Tace atque abi: curata fac sint quom a foro redeam domum.

Cf Cas. 491. Cist. 43 sq. Pseud. 890, u. p. 101 adn. Trin. 719 sq. p. 32.

Phorm. 521:

Ego te . . . tuli Pollicitantem et nihil ferentem, flentem; nunc . . .

De Eun. 463 melius erit iudicium cohibere, ubi legimus:

Obsecro hercle, Parmeno, fac ut potiar : : Faciam sedulo ac
Dabo operam, adiuuabo: num quid me aliud? . . .

Particula, quam defendit Hand, Turs. I p. 461, in exitu uersus collocari potest, sed asyndeton uenustate sua commendatur; de *Faciam sedulo* cf Andr. 597. Phorm. 228; cf etiam Ad. 50 sq.

Aduerbia. Mil. 1161:

Militem lepide et facete laute ludificarier Uolo.

Sic codd. et Rbk; ceteri edd. *et laute;* uix opus. Dissolute componuntur aduerbia illa Eun. 427. — Cf etiam Truc 516 sq.

3. Coniunctio bis ponitur.

a. Eadem particula iteratur.

Curc. 501:

Odio et malo et molestiae, bono usui estis nulli.

Mil. 1042:

Hominem tam pulcrum et praeclarum uirtute et forma <et> factis.

Add. Cam., cf u. 57. — Asin. 747. Capt. 299. Cas. 708 sq. Men. 222. 321. Merc. 475. Mil. 1423. Pers. 329. 555. Poen. 385 P, u. p. 138. Pseud. 691. 735. Rud. 783. Trin. 346. — In uersibus contiguis uocabula collocata sunt Trin. 113 sq.:

Mihi commendauit uirginem gnatam suam
Et rem suam omnem et illum corruptum filium.

ib. 163 sq. Cf p. 32. — Haut. 845 (codd. Call.):

Serua, quod in te est, filium et me et familiam.

A: *filium me ac familiam.* — Haut. 875. 941. Hec. 210 (me et te et familiam). 592. — Afran. 380. Pseud. 1083:

Malum et scelestum et peiurum aibat esse me.

Poen. 234. 255. Hec. 472. 837. Pac. Trag. 366. Aduerbia: Mil. 213. Phorm. 1047 sq. — Mil. 1052:

Quid nunc uolt?:: Te conpellare et conplecti et contrectare.

Merc. 343. Pseud. 944. Trin. 225. 773. Ad. 994. Afran. 143: cf Asin. 345. Mil. 1029. Pers. 503. Haut. 244.

Atque non multis locis repetitur: Mil. 589:

Nam illius oculi atque aures atque opinio
Transfugere ad nos.

Cf Bacch. 132. Men. 855. Pers. 783. Haut. 855. — Cist. 280 (adu.) De Most. 425 u. p. 91.

Paullo saepius *-que . . . -que* occurrit (cf Seyffert, "Berl. phil. Woch." IV p. 1093. Abraham, "Woch. f. kl. Phil." II p. 452): Capt. 800:

Faciam, ut huius diei locique meique semper meminerit.

Cf Eun. 801. — Aul. 351 sq. 724 sq. Capt. 361 sq. Cist. 365. Rud. 741. Truc. 58. — Rud. 312:

Ut piscatorem aequomst, fame sitique speque falsa.

T *spesque falsa; falsa* in ceteris Palatinis interiit. G.-S., Sonn., alii coll. Most. 193 *alguque.* — Stich. 609:

Domi mihi tibique tuaeque uxori celeriter cenam coqui.

Sic A, G.-S., Leo, Seyffert, Abraham l. l.; P, Goetz, Uss.: *mihi tibi tuaeque;* cf Trin. 645, u. p. 130. — Turp. 118 sq., u. p. 28. Enn. Ann. 184 M. — Iam ad eos locos pergamus, ubi

b. Uocabula diuersis particulis copulantur.

AB que et C: Rud. 1:

Qui gentes omnes mariaque et terras mouet.

Bacch. 1189. Capt. 87. 661. Cist. 522. Curc. 477. Stich. 289. 291.

AB que atque C: Most. 193:

Nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu.

Trin. 836:

Imbres fluctusque atque procellae infensae frangere malum.

Cf etiam Ad. 662 sqq.

Inuersum ordinem inuenimus his ll.: *A et BC que*, Rud. 635:

At ego te per crura et talos tergumque obtestor tuom.

Aul. 722, u. p. 13. Mil. 564 sq. Pseud. 42. Trin. 647 (cf Leo, De fig. serm. I p. 8) Cf Enn. Ann. 32 M.

A atque BC que: Aul. 642:

Laruae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem.

Amph. 193 in libris sic traditur:

Praeda atque agro adoriaque adfecit populares suos.

De hiatu cf Maurenbrecher l. l. p. 133 sq. 199 sq. — Enn. Sat. 45 M.:

Quando mortalis atque urbes beluasque omnis iouant.

A atque B et C: Cist. 512:

At ita me di deaeque superi atque inferi et medioxumi

Amph. 515. Capt. 562. 849. Pers. 54. Truc. 512. 610. Cf Haut. 704. Ordinem inuertit *(A et B atque C)* Capt. 387 (initium uersus uulnere laborat):

. . . persequarque corde et animo atque auribus.

Haud multis locis eadem coniunctio ter ponitur, uelut Truc. 45:

Extemplo et ipsus periit et res et fides.

Bacch. 958. Capt. 972. Men. 1009. Merc. 119. Andr. 49 sq. Hec. 161. Ad. 692. 819. — Aul. 218:

Quae res recte uortat mihique tibique tuaeque filiae.

Ad. 301:

Quod mihique eraeque filiaeque erilist . . .

Sed Cist. 524, ubi codd. *teque tuamque filiam meque* praebent, Seyffert (ap. Schoellium) lenissima mutatione emendauit: *aeque*, u. p. 131 adn. — Uariant coniunctiones Asin. 577:

Ut meque teque maxume atque ingenio nostro decuit.

Cf Trin. 825. Poen. 3:

Sileteque et tacete atque animum aduortite.

Hec. 488:

Amoque et laudo et uementer desidero.

Iam ea, quae de tribus uocabulis inter se componendis disputata sunt, breuiter comprehendamus. Plurimis locis asyndeton inuenimus, sed haud raro fit, ut inter extremum membrum et id quod praecedit *et* uel *atque (ac)* inseratur: *que* particula non saepius adnectitur tertium membrum quam ceteris particulis. Nonnullis locis duo priora trinomii membra particulis copulantur. *Et* saepe iteratur, rarius *que, atque;* nonnumquam uariant coniunctiones.

De quattuor uel pluribus uocabulis inter se componendis uix opus est uberius disputare. Apud posteriores scriptores bina saepe cohaerere notissimum est; cf Merc. 832:

Usus, fructus, uictus, cultus iam mihi harunc aedium

De *usus fructus* egit Preuss p. 80 sq.; *uictus et cultus* apud Ciceronem aliosque saepe coniuncta inuenimus.

Amph. 1062:

Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus: ut subito ut propere, ut ualide tonuit.

Andr. 319:

Ad te aduenio spem salutem auxilium consilium expetens.

Merc. 630:

Ad mandata claudus, caecus, mutus, mancus, debilis.

ib. 639. Bacch. 1088. Cf etiam Tab. Iguu. VI: B 59 . . . tursitu tremitu hondu holtu ninctu nepitu sonitu sauitu preplotatu preuilatu. Sed permultis locis uocabula non accurate distincta cumularunt.

que particula adnectitur membrum extremum u. gr. Cas. 642:

Pectus auris caput teque di perduint.

Trin. 41:

Bona fausta felix fortunataque euenat.

Amph. 226. Men. 967. — Turp. 162:

semper studuit perdere
Detegere despoliare opplereque adeo fama ac flagitis.

que infinitiuo act. perraro adnectitur (Most. 791. Trin 76. 1031 Andr. 217, u. Elmer l. l. p. 300).

Saepius autem *et* uel *atque* inter extremum membrum et id quod praecedit inseritur, uelut Pseud. 947:

Lepido uictu, uino, unguentis et inter pocula pulpamentis

Fleck. *et* deleuit. -- ib. 385:

Ad eam rem usust hominem astutum doctum, cautum et callidum.

Etiam h. l. multi in particula illa offenderunt. — Ad. 319:

Ceteros ruerem agerem raperem, tunderem et prosternerem.

Cf Capt. 134. Curc. 37. Trin. 272. Phorm. 86. Ad. 263. *Atque* apud Sallustium haud raro occurrit, cf Bökman l. l. p. 5. Woelfflin, A. L. L. XI p. 32. — Truc. 574:

Priuauit bonis luce honore atque amicis.

Ad. 944:

Etsi hoc mihi prauom ineptum absurdum atque alienum a uita mea Uidetur . . .

Cf Asin. 859, cf. 857. Bacch. 927. Cas. 359. Mil. 677. 693. Trin. 845. Pac. Trag. 21.

Priora membra nonnumquam coniunctione copulantur uelut Rud. 665:

Nunc id est quom omnium copiarum atque opum,
Auxili, praesidi uiduitas nos tenet.

Pseud. 1265:

Unguenta atque odores, lemniscos, corollas.

Cf Bacch. 380. Curc. 368, u. Leo ad l. — Bacch. 715 legimus:

. . . ecfer . . . : : Quid? : : Stilum, ceram et tabellas, linum : : Iam faxo hic erunt,

Cf Uss. ad l. Nonnumquam bina particulis coniunguntur: Rud. 11:

Qui facta hominum moresque, pietatem et fidem Noscamus . . .

Sic T; cett. codd. *mores*. Cf Amph. 258. Poen. 268. 325 sq.

Appendix.

1. De traiectione uerborum in codicibus Palatinis.

P. 24 monui codicem B uerum ordinem *argenti et auri* Rud. 1188 seruasse, ubi CD inuersum ordinem *auri et argenti* praebent metro pessumdato. H. l. mihi liceat nonnulla huius discrepantiae exempla proferre. Cf Lindsay "Introduction" p. 31 sqq.

Permultis locis A et P inter se differunt, de qua re egit Baier, De Plauti fabb. rec. p. 160 sqq. Sed etiam codices Palatini haud raro alius aliam collocationem uerborum praebent. Uelut in duodecim posterioribus fabulis CD, quos ex eodem codice transscriptos esse constat (cf Lindsay, "The Palatine text of Plautus" p. 7), a B hac in re saepe differunt. Semper fere B uerum ordinem seruauit neque raro A accedit (in Ambrosiano Persa, Poen., Pseud., Stich. fere toti seruati sunt) ad fidem Ueteris confirmandam. Uelut Poen. 1201 sq. in AB legimus:

Non eo genere sumus prognatae, tametsi sumus seruae, soror,
Ut deceat nos facere quicquam, quod homo quisquam inrideat.

CD *sumus genere, facere nos.*

Cf Pers. 280. 421. 480. 594. 613. 621. Poen. 321. 353. 575. 655. 695. 707. 906. 922. 982. 1205. 1294. 1338. 1375. Pseud. 111. 322. 638. 691. 866. 868. 1148. Rud. 571. Stich. 79. 95. 421. 587. Trin. 6. 215. 392. 458. 463. 755. alia.

Perraro fit, ut A cum CD conspiret, uelut Pers. 545:

Haecine illast furtiua uirgo? : : Iuxta tecum aeque scio.

ubi B *scio aeque* praebet. ib. 581:

Esne tu huic amicus? : : Tamquam di omnes qui caelum colunt.

B *huic tu;* u. 632. Cf etiam Pseud. 946. Rud. 581. Stich. 697. – B et CD inter se differunt cum aliis tum his locis, ubi A deest: Pseud. 544:

Quasi in libro quom scribuntur calamo litterae.

CD *litterae calamo.* Cf ib. 1103. 1194. Poen. 228. 551. 810. 1083. Rud. 3. 259. al. Sed Rud. 450 edd. codicum CD collocationem recte receperunt:

Sed quid ego misera uideo procul in litore?

B *procul uideo.* Cf Pers. 756. — Discrepantiae, de qua egi, pauca exempla exstant in Bacch., Most., Men., Mil., plura in Merc. et fabulis, e quibus supra exx. protuli.

Perraro inter se discrepant C et D, uelut Stich. 239:

Gelasime salue : : Non id est nomen mihi.

Sic ABC; D *est id.* Trin. 338 G.-S.:

Quia sine omni malitiast, tolerare ei[us] egestatem uolo.

Sic AD; BC *egestatem eius.*

Etiam T et ceteri Palatini uidentur nonnumquam diuersum ordinem uerborum praebuisse; cf p 84.

2. De structuris quibusdam finalibus (ibo ut, eo ut, sim.)

Abraham, "Berl. phil. Woch." VI p. 1124, de ratione, quae inter structuras paratacticas et hypotacticas intercedit, haec docet: ". . . entweder fügt Plautus zu *ibo* u. dgl. die Absicht hypotaktisch mit *ut* — und das ist das gewöhnliche — oder parataktisch mit *atque, et* hinzu." Cf supra p. 76. Uideamus igitur utra structura apud scaenicos poetas usitatior sit. — Amph. 291:

Ibo ut erus quod imperauit Alcumenae nuntiem.

Poen. 920:

Ibo intro: haec ut meo ero memorem: nam huc si . . .

Aul. 802:

Ibo intro, ut quid huius uerum sit sciam . . .[1]

Rud. 890:

Uerum tamen ibo, ei aduocatus ut siem.

[1] De locutione *ut sciam, -s* apud Plaut. u. Dahl l. l. p. 222. Obiter moneo Abrahamum Stud. Plaut. p. 234 emendare noluisse Pers. 701: *ausculta ergo ut scias* hunc in modum: *ausculta ergo. scies,* quod Seyffert "Berl. phil. Woch." V p. 263 iure improbauit.

Cas. 511 sq.:

Ibo intro, ut id quod alius condiuit coquos
Ego nunc uicissim ut alio pacto condiam.

De *ut* particula repetita cf. p. 124. — Cas. 557:

Ibo intro ut subducam nauim rusum in puluinaria.

Capt. 907:

Nunc ibo, ut pro praefectura mea ius dicam larido,
Et quae pendent indemnatae pernis auxilium ut feram.

Aul. 712:

. . . ibo, ut hoc condam domum.

Bacch. 1060:

Ego ad forum autem hinc ibo, ut soluam militi.

Codd. *militem;* corr. Lambinus; u. infra.

Aul. 65:

Nunc ibo ut uisam, sitne ita aurum ut condidi.

Bacch. 529:

Quid remoretur. ibo ut uisam huc ad eum, si fortest domi.

Sic A et omnes fere edd., *ibo et* P. Nihil egit Baier l. l. p. 145 locos iniuria uexatos in comparationem uocans. Capt. 919. p. 76. 80.

Hi fere sunt loci Plautini ubi *ut* in codicibus traditur. Quos si perlustrabimus, apparebit, plurimis locis metrum utramque particulam (*ut* uel *et*) tolerare, ubi praes. coni. et fut. ind. similiter formantur, nonnumquam futurum ad sententiam aut ad metrum non quadrare (Aul. 802. Rud. 890. Amph. 291. Poen. 920.). Quae cum ita sint praestare uidetur codicum scripturam seruare Amph. 1075. Men. 557. u. p. 80. De Bacch. 348 u. infra.

Barth, De inf. apud scaen. p. 13, quem sequitur Hauler ad Phorm. 462, contendit *ut* apud Ter. semel inueniri. Ad. 632:

Nunc hoc primumst: ad illas ibo, ut purgem me.

Addo Ad. 277:

Ego ad forum ibo, ut hunc absoluam; tu . . .

Haut. 211:

Ita credo:: Ego ibo hinc intro, ut uideam nobis quid cenae siet.

Cf etiam Eun. 921:

Ibo intro, de cognitione ut certum sciam

ubi futurum non aptum est, cf Pac. Trag. 214:

Ibo ad eam ut sciscam quid uelit.

Uidemus igitur legem illam, quam Abraham l. l. Plauto constituit, adeo non ualere, ut haec fere ratio numeraria inter structuras paratacticam et hypotacticam euadat: 5: 1.

Idem uir doctissimus (cf Stud. Plaut. p. 208) Bacch. 348 sic emendauit:

Nic. At ego hinc <ibo> [ad] illum ut conueniam quantum potest.

H. u. apparet uerbo primario carere. Fortasse e. u. 347 audiri potest (Leo et Cosh codicum scripturam receperunt):

Chr. Deos atque amicos iit salutatum ad forum.

sed de hac re nihil adfirmare ausim [1]. Illud uero non possum Abrahamo concedere, Ritschelii emendationem . . . *hinc <eo> ad illum ut* e. q. s., quam Goetz et G.-S. acceperunt, ideo probari non posse, quod praesens *eo* in hac compositione non Plautinum sit. Cf enim Trin. 1172:

. . . Probus es: eo ut illum euocem.

Pseud. 169:

Ego eo in macellum, ut piscium quidquid ibist pretio praestinem.

Merc. 659:

Eo domum, patrem atque matrem ut meos salutem: postea

ib. 385:

Eo ego ut quae mandata amicus amicis tradam : : Immo mane.

De h. u. cf Leo “Forsch.“ p. 234 sq. 241. Maurenbrecher “Hiatus u. Verschl.“ p. 26. — Cf Pers. 191. Eun. 364. — Enn. 807 sq.:

Thais, ego eo ad Sophronam

Nutricem, ut eam adducam et signa ostendam haec. . . .

Haec de *ibo* et *eo* dicta sunto.

E uerbis Dahlii (“Die lat. part. *ut*“ p. 220 sq.): “In der ältesten (dram.) Litteratur ist der Absichtssatz sehr häufig an Bewegungsverben . . . gefügt, so an *eo*, bes. in den fut. und imperativischen Formen“ (cf etiam Tessing, Synt. Plaut. p. 33: “*eo*, maxime in formis futuralibus atque imperatiuis“) forsitan quispiam concludat *i ut* poetis scaenicis in deliciis fuisse. Quod prorsus falsum est. Occurrit enim semel tantum struc-

[1] Cf u. gr. Pers. 819:

Ego pol uos eradicabo : : At te ille, qui supra nos habitat.

tura illa, si subiectum utriusque sententiae idem est. Merc. 689:

. . . Ei hac mecum, ut uideas semul Tuam Alcumenam . . .

Subiectum mutatur Aul. 694 sq. Trin. 580.

Ad coniunctiuum *eamus* Plautus sententiam finalem adposuit Curc. 365. Epid. 157. Men. 387: cf Mil. 944: Poen. 194. *ire ut* occurrit Epid. 100. Pers. 181. Truc. 645 sq. Hec. 324.

3. De uerbi *soluere* structuris.

Bacch. 1060 in libris sic traditur:

Ego ad forum autem hinc ibo, ut soluam militem.

ubi Lambinus *militi* scripsit itemque Uss., G.-S., Leo: alii, in quorum numero sunt Fleck. et Goetz, uersus exitum hunc in modum transformarunt: *ibo, absoluam militem.* Cosh, qui nouissimus hanc fabulam edidit, traditam scripturam sanam ac ueram esse censet. Cf etiam Georges Lex. s. u.: soluere *alqm* Jmd. bezahlen, Plaut. Ad rem diiudicandam necesse erit structuras uerbi *soluere* perscrutari.

Soluere aliquem idem est atque e uinculis eximere: Capt. 354. Epid. 724. 728. 731. Mil. 1425. Truc. 838. *solutus:* Capt. 205 sq. Epid. 691 sq. Truc. 837.

Soluere aliquid: Rud. 1142 Solue uidulum ergo:: Solutust (de rudente agitur, u. Sonn. ad l.). — Truc. 954: solue zonam. — Nauem soluere: Amph. 412. Bacch. 288. Merc. 92. Mil. 1188. 1300. Stich. 417.

Soluere de debita pecunia saepissime ponitur:

a. Haud raro *rem* uocula additur; locutio illa *rem soluere* uerti potest 'betala':

1. Datiuus personae additur: Curc. 722:

sequere . . . Ad praetorem: nam inde rem soluo omnibus quibus debeo.

ib. 553:

Ego abeo: tibi res solutast recte. bellator, uale.

Aul. 525. — Asin. 219 (agitur de auibus):

Saepe edunt: semel si captae sunt rem soluont aucupi.

2. Ablatiuus instrumenti additur Rud. 558:

. . . copiast, Dum lingua uiuet, qui rem soluas omnibus.

Asin. 321. Curc. 379. Poen. 1354.

3. *Rem soluere* absolute, ut aiunt, ponitur Rud. 1413 res solutast, Asin. 454. Pseud. 630.

4. *Rem soluere pro aliqua re* 'betala något': Curc. 618:
Ego quidem pro istac (: ancilla) rem solui ab trapezita meo.

Asin. 433:

. . . ecquis pro uectura oliui Rem soluit?:: Soluit.

Sic Turnebo duce omnes fere edd. praeter G.-S. qui codicum lectionem *Resoluit* retinuerunt, u. infra. Cf etiam praef. ed. min. p. IX.

b. *Soluere* solum ponitur: 1. addito obiecto: Curc. 682:

Uelut decem minas dum soluit . . .

Poen. 1362:

Uerum obsecro te ut liceat simplum soluere, Trecentos Philippos.

Pseud. 226; pass. 641. Uotum soluere, Rud. 60.

2. addito datiuo: Curc. 684:

Pessume metui, ne mihi hodie apud praetorem solueret.

3. Trin. 1107:

Solutumst portitori iam portorium.

4. Obiectum et Dat. pers. audiuntur Most. 636:

Quid eost argento factum?:: Saluomst:: Soluite
Uosmet igitur, si saluomst.

Pseud. 1230:

Di te perdant. sequere sis me ergo hac ad forum ut soluam::
Sequor.

Haec fere exempla Plautina sunt. Quae si Cosh diligenter examinasset, non dixisset (p. 201): "The meaning is exactly the same as in *ut hunc absoluam* Ad. 277 . . . to get rid of the soldier . . . If the object of the thing were expressed, *ut soluam militi* 'that I may pay the money to the soldier' would be admissible . . . If a pronoun or any noun just previously mentioned could be supplied, Lamb's. emend. would be admissible, but this cannot be done."

Ad haec respondere licet 1. *soluere aliquem* apud Plautum nihil aliud significare quam *uinculis liberare;* de Hec. 230 u. infra. 2. *soluere* nullo addito obiecto 'betala' significare posse, cf Most. 636. Poen. 1230. Curc. 684. 3. nihil impedire, quo minus obiectum e uersibus antecedentibus (1050 sq. 1059) audiatur.

Quae cum ita sint in emendatione Lambini lenissima

acquiescendum est; praestat enim facilitate alteri *ibo absolutum militem. militem* e *militei* ortum esse posse monet Leo ad l.

Quae ratio inter Plauti et Terentii consuetudinem intercedat breuiter exposuit Langen "Die Metapher etc." Ann. Phil. t. CXXV p. 770. Uerba ipsius adferam:

Soluere hat Plautus neben der eigentlichen Bedeutung 'die Fesseln, den Verschluss, den Anker des Schiffes lösen' in der tropischen nur mit der engen Beschränkung 'eine Schuld lösen' d. h. 'bezahlen' gebraucht. Terentius weist die Metapher in mannigfacher Weise auf: neben Ad. 628 ipse egomet solui argentum findet sich ebd. 164 neque tu uerbis solues umquam quod mihi re male feceris; Hec. 230 quae hic erant curares quom ego uos curis solui ceteris; Ad. 643 soluisti fidem."

Cf etiam Andr. 955 iube solui (sc. Dauom). Phorm. 780 uorsuram solues.

De *absoluere* cf Lor. ad Most. 652. Addo Men. 780. *Dissoluere* Langen tractauit l. l. p. 688.

De *exsoluere* Langen l. l. non disputauit; usurpatur eodem fere modo atque uerbum simplex. Apud Plautum igitur uim propriam plerumque retinet: uinctum exsoluere Capt. 514. Bacch. 857 sq., al. ll.; uota Amph. 948, pretium Men. 985. Terentius translatione utitur Hec. 599 me hac suspicione exsoluam. ib. 792 illas errore et te simul suspicione exsolues; cf u. 820. Haut. 721. De *resoluere* u. Uss. ad Asin. 432 (= 429 U.).

4. Num *i, i, ambula* Plautinum sit quaeritur.

Trin. 1108 Leo Taubmanno duce sic edidit:

Nihil est morae. i, i, ámbula, actutum redi

(*moracii* BC *moratii* D) In adn. crit. Poen. 717 (age age ambula) Asin. 108 (ei, bene ambula) in comparationem uocat addens: "*i ambula* dictum ut *uise specta, fabricare finge, adi et congredere* et eius generis plurima." Sed G.-S. in praef. ed. min. p. VIII hanc emendandi rationem damnant his uerbis: "De *morae. i, i, ambula* cogitare non potest nisi sermonis Plautini ignarus."

Ad rem diiudicandam aptum erit a locis a Leone adlatis proficisci.

Ac primum quidem de imperatiuis geminatis pauca dicenda sunt; cf Loch, "Zum Gebrauch des Imp." p. 17 * * * Woelfflin, "Die Gemination im Lateinischen", "Münch. Sitzungsber." a. 1882 p. 434 sqq. Birt, Das Arvallied, A. L. L. XI p. 188.

Apud omnes fere scriptores imperatiui et alia uocabula haud raro geminantur, quo magis augeatur uis orationis: proficiscuntur enim huiusmodi locutiones ex magna eius qui loquitur animi commotione. — Bisyllaba frequentur occurrunt: Truc. 551:

Ite, ite hac simul, muli erei damnigeruli, . . .

Most. 1180:

Sine te exorem : : Age abi, abi inpune. em, huic habeto gratiam.

Ad. 620 (*abi* semel A):

. . . illa exclamat 'abi, abi: iam, Aeschine. Mil. 857.

Haut. 349:

. . . Redi. redi : : Adsum: dic quid est?

Merc. 474:

Mane, mane, opsecro, Charine . . .

Amph. 765. Asin. 229. Men. 180. Merc. 928. Pseud. 240. Haut. 613. 736. (*mane* semel A) Ad. 264. Inc. Inc. Trag. 79. Aul. 655:

Mắnĕ mănĕ: quis illic ést? quis hic intus alter . . .

Proceleusmaticum, de quo dubitabat Abraham Stud. Plaut. p. 228, defendit Skutsch, "Forsch." p. 114[1]. 150.

Alterum uocabulum in huiusmodi locutionibus persaepe omissum esse a librariis notum est. Cf Mil. 857 B. Ad. 620. Haut. 736. Lindsay, "Introd." p. 39 sq. 48. Neque desunt exempla contrarii erroris calami, uelut Phorm. 217, ubi A γ *mane* praebent, rell. *mane mane* metro pessumdato, Eun. 764 *mane mane* γ EF, quod ferri non potest. Cist. 704 Leo *mane* addere uoluit:

Redeo intro : : Mulier, mane <mane>: sunt qui uolunt te conuentam.

de qua emendatione etiam Goetz et Seyffert cogitarunt, u. praef. ed. min. p. VIII; cf tamen praef. Schoellii p. XXX.

Simili remedio Skutsch, "Berl. phil. Woch." XV p. 1452, usus est Epid. 204:

Mane <mane>, sine respirem, quaeso :: Immo adquiesce :: Animo malest.

Pers. 591:

Tace, tace: nimis tu quidem hercle homo stultus es . . .

Curc. 156. Pseud. 600. Eun. 834 (*tace* semel EFG[1]) Aul. 415 (cf 713):

Redi, quo fugis nunc? tene tene :: Quid, stolide, clamas?

Age cum sequente alio imperatiuo componi notissimum est. Geminatum occurrit u. gr. Poen. 717:

Age eamus intro :: Te sequor :: Age age ambula.

Asin. 39:

Fiat: geratur mos tibi :: Age age, usque excrea.

Pers. 606 sq.

. . . Age age nunc tu: in proelium Uide ut ingrediare auspicato.

Haut. 332:

Age age, cedo istuc tuom consilium. . . .

Caec. Stat. 100. u. p. 87. Turp. 207. Acc. Trag. 304.

Alterum *age* delendum esse censet Skutsch l. l. Epid. 631:

Age [age] absolue atque argentum numero numera, ne comites morer.

(*numero* bis BE) ubi alii alias emendandi uias ingressi sunt: Age age absolue [atque], argentum numero numera e. q. s., Schoell, age age, absolue <me> atque arg. numera e. q. s. Cam., Goetz, Leo.

Stich. 221 hiatum remouit Mueller Pros. p. 689 *age* inserendo:

Logos ridiculos uendo: age <age> licemini.

Cf Maurenbrecher "Hiatus u. Verschl." p. 198 sq.

Haud raro *age age* concedentis est, praesertim si is qui loquitur, inuitus uoluntati alicuius obsequitur (Hand Turs. I: p. 208: "Ubi simul aegritudo admixta est, bis ponitur *age age*"); cf Bx ad Mil. 1024. Meissner ad Andr. 310. — Mil. 1024:

Age age, ut tibi maxime concinnumst. . . .

Asin. 327:

. . . Age age, mansero Tuo arbitratu . . .

Andr. 310:

Tu si hic sis, aliter sentias. :: Age age, ut lubet . . .

Haut. 722:

Age age, traducatur Bacchis . . . Phorm. 559. 662. Ad. 877.

Trisyllaba raro geminantur: Curc. 310 . . . Retine, retine me, obsecro. Cas. 738 Memento, memento. Most. 436 Apage, apage te a me nunciam . . . cf Bacch. 64. 73 Apage a me, apage. — Qui ostium impatienter pulsat, *aperite aperite* clamantem inducit poeta Pseud. 1284, cf Trin. 870. 1174 (aperite hoc, aperite). — Enn. Trag. 323: Eloquere eloquere res Argiuum . . .

Woelfflin l. l. monet poetas monosyllaba iterare non solere nisi ubi aut uersu aut uocabulis interpositis dirimuntur. Cf u. gr. Iuu. Sat. VI: 279 sq.

Sed iacet in serui complexibus aut equitis. dic,
Dic aliquem sodes hic, Quintiliane, colorem.

Ual. Flacc. II: 422:

I, memor i terrae, quae uos amplexa quieto

Qua lege etiam poetas scaenicos teneri credo. Uelut cf Bacch. 829 sq.:

Dic, scelerum caput,
Dic, quo in periclost meus Mnesilochus filius?

Trin. 590:

Enumquam aspiciam te? :: I modo, i modo, i modo.

Eun. 377, u. p. 68. Itaque structura loci, a quo profecti sumus, non defenditur Poen. 717.

Iam restat ut de Asin. 108 pauca dicamus. Libanus seruos et Demaenetus senex sic inter se collocuntur:

Li. Tun redimes me, si me hostes interceperint?
De. Redimam. Li. Tum tu aliud cura quidlubet.
Ego eo ad forum, nisi quid uis. De. Ei, bene ambula.
Atque audin etiam? Li. Ecce. De. . . .

Libri *fiet ne ambula* praebent; corr. Fleck[1].

[1] Camerarius *Ego eo* sq. Demaeneto, *Ei* sq. Libano dedit, initio uersus 109 Dem. pers. addens, adprobantibus Uss. et G.-S. Uereor tamen ut prudenter traditam scripturam mutauerint, u. Leo ad l. Nam formula *atque audin?* is utitur qui in scaena remanet, si alterum, qui abiturus est, reuocat, ut id quod antea oblitus est, dicat; u. Lor. ad Pseud. 665 (= 644 L.).

Cum nullo alio loco *i* cum formula illa ualedicentis *bene ambula* (exx. coll. Uss. ad h. l., Lor. ad Most. 853, Langen "Beitr." p. 203) coniunctum esse uideatur, Abraham Stud. Plaut. p. 206 adn. uoculam illam deleuit, *me* ante *uis* addidit:

Ego eo ad forum, nisi quid < me > uis :: Bene ambula

quod nullo modo probari potest. Primum igitur moneo, Plautum in huiusmodi locutionibus *me* omittere solere, u. infra. Accedit quod *eo* et *i* apud poetas scaenicos persaepe inter se respondent (cf Seyffert, Stud. Plaut. p. 21) siue imperatiuus antecedit, uelut Aul. 103:

Euc.: Tace atque abi intro. Sta.: Taceo atque abeo. . . .

Merc. 787 sq.:

Syra, ei, rogato . . . Sy.: Eo.

Bacch. 901 sq. Cas. 791 sq. Phorm. 309; siue inuerso ordine se excipiunt uoces illae, cf Pers. 198:

Eo ego :: I sane: ego domum ibo . . .

Atque Asin. 108 illud *ei* etiam concedentis est et ad uerba *nisi quid uis* respondentis; itaque eandem fere uim habet atque *eas* Rud. 403:

Ego eo intro, nisi quid uis :: Eas: ego quod mihi imperauit
Sacerdos id faciam . . .

Cf Cas. 718, p. 92. Mil. 185:

Dixi ego istuc: nisi quid aliud uis :: Uolo: hoc ei dicito.

Nonnumquam fit, ut alter ad interrogationem, quae sententia condicionali continetur, nihil respondeat: Aul. 579. Poen. 190. Cf etiam Trin. 458. Iam ut ad locum nostrum redeamus, apparet in eo offendendum non esse, quod formula *bene ambula* imperatiuum *ei* subsequitur. Neque quidquam ad uersum illum Trinummi, a quo profecti sumus, illustrandum hic locus ualet.

Sed restat etiam alia ratio, qua adducor ad suspicandum

Cf Pseud. 665:

Numquid uis? :: Dormitum ut abeas :: Abeo :: Atque audin, Harpage?

Mil. 1087 sq.:

. . . Quid hic nunc stas? quin abis? :: Abeo. :: Atque adeo, audin?

Epid. 400. Poen. 406 sqq. Trin. 799. Andr. 299. 865. *Audin* (omisso *atque*) Asin. 116. *Sed audin* Cas. 707. Cf etiam Bacch. 327:

Nunc tibimet illuc naui capiundumst iter Ut . . .
Atque heus tu :: Quid uis? ::

illud *i i ambula* reiciendum esse. Occurrit enim non semel in Palatinis *i i* pro *i* simplici, uelut Stich. 396:

I intro, Pinacium, iube famulos . . .; sic A; I i intro P.

Pers. 487:

I ad forum, e praetore exquire . . . I A; I i P. Leo.

Asin. 486:

Ei nunciam ad erum . . ., Ii DE.

Cf Bacch. 1175. 1181. Cist. 773. Most. 333. Poen. 271. (Pseud. 239.)

Sed haec hactenus. Mihi quidem non dubium uidetur quin *i i ambula* a Plautino sermone abhorreat. De Epid. 164 u. p. 86 adn.

Quomodo Trin. 1108 emendandus sit, difficile est diiudicare. Cf Schoell in adn. crit. Leo, "Forsch." p. 315. Maurenbrecher l. l. p. 163. 176. Havet, A. L. L. XI. 360. Mihi quidem uidetur C. F. W. Mueller acu rem tetigisse, qui nuperrime (Mus. Rhen. t. LIV a. 1899. p. 542 sq.) hanc lectionem commendauit:

Nil est morae tibi: ambula, actutum redi.

5. De formula *Numquid uis?* sim.

Aul. 263 in libris sic traditur:

Ibo igitur, parabo. numquid me uis? : : Istuc fiet uale.

nisi quod *me uis* in *uis me* litteris *a b* positis corr. B². Euclio et Megadorus discessuri sunt; Megadorus, priusquam abit, *Numquid me uis* Euclionem interrogat. Quid hic respondeat, e codicum scriptura turbata eruere conemur.

Donatus ad Eun. 341:

Dum haec dicit, abiit hora. Rogo num quid uelit.
'Recte', inquit. abeo.

haec adnotat: "Abituri, ne id dure facerent, *numquid uis?* dicebant iis, quibuscum constitissent" [1].

Formula illa occurrit his locis: a. Particula interrogatiua ictu percutitur Pseud. 665:

Númquid uis? : : Dormitum ut abeas : : Abeo . . .

---

[1] Cf Bx ad Trin. 192. Lor. ad Pseud. 665 (= 644 L.) Uss. ad Amph. 542 (= 538 U.) Cosh ad Bacch. 604. Tyrrell ad Mil. 259. Dz. ad Ad. 247. Abraham, Stud. Plaut. p. 213. 234 sq. Prehn, De pron. indef. p. 21.

Truc. 883:

Numquid uis?:: Fac uenias:: Operae ubi mihi erit, ad te uenero.

Sic Mueller, Herm. t. XXXIV (a. 1899) p. 336; codd.: *Facultas.* Alii alia temptarunt. Amph. 542, cf 970. Merc. 325. Mil. 1086. — b. Pronomen acuitur: Men. 328:

Numquid uis?:: Ut eas maxumam malam crucem.

Amph. 544. In responso *ut* omittitur Bacch. 604:

Numquid uis?:: Abeas: celeriter factost opus.

Capt. 191. Curc. 525. Trin. 192. Imperatiuus occurrit Curc. 516. Men. 548:

Numquid [me] uis?:: Haec me curaturum dicito.

me, quod metrum non patitur, del. Acid.

Pron. pers. additur Cist. 119:

. . . abi intro:: *Numquid me uis?*:: Ut ualeas:: Uale.

cf u. 117: Numquid me uis, mater, intro quin eam . . .

Aul. 175 ordo inuersus est:

Di bene uortant:: Idem ego spero:: *Quid? me numquid uis?*:: Uale.

Libri: *Quid me nunc quid.* — H. u. uariis modis turbarunt uiri docti: Numquid nunc me uis, Muell. "Pros." p. 546, Abraham Stud. Plaut. p 213. Numquid me aliud uis, Goetz in ed. sua, Fleckeisen, Ann. Phil. t. CLIII. p. 684: spero <fore>:: Me numquid uis, Langen. Sed longum est omnia adferre; nihil mutandum esse nisi *nunc* ostendit Seyffert, "Berl. phil. Woch." V p. 269 sq. X p. 309, Ann. Burs. t. LXXX: p. 238 sq.[1] — Curc. 522:

Summane, numquid nunciam me uis?:: Uale atque salue.

Uerbum uoluntatis omissum est Poen. 801:

Numquid me?:: Abscedas: sumas ornatum tuom.

Haud raro occurrit formula *numquid aliud?* uelut Capt. 448:

Numquid aliud?:: Ut quam primum possis redeas . . .

[1] "Der Vers ist vollständig heil bis auf die Verschreibung *nuncquid* st. *numquid*; wenn es *me numquid uis* statt der üblichen Wortfolge *numquid me uis?* heisst, so ist diese Abweichung durch das die Frage einleitende Glied veranlasst, auf welches bei Plautus kein Fragewort unmittelbar folgt." De scriptura illa cf Pseud. 728 ACD *numquid*, B *nunc quid*, u. 533 D *numquid*, C *nunquid*, B *nunc quid.* Mil. 1019 *numquis* A, *nunc quis* B. Cf Poen. 911 al.

Mil. 259. 1195. Most. 404. Poen. 911, u. p. 126. — Bacch. 757:

Numquid aliud? : : Hoc, atque etiam: ubi . . ., ne . . .

Cf Merc. 282:

Ei et hoc memento dicere : : *numquid amplius?* : : Tantumst.

Pers. 708 sq.:

. . . *numquid ceterum Uoltis?* : : Uale : : Et uos . . .

ubi Abraham l. l. p. 213 contra codd. scripturam *me* ante *uoltis* addidit. Legitur autem u. 692 sq. eiusdem fabulae:

. . . *Numquid ceterum Me uoltis?* : : Quid tam properas?

Epid. 512:

Haec sic audiui. numquid me uis ceterum?
: : Malo cruciatu ut pereas . . . cf Cas. 750.

Pers. 735:

Num quippiam aliud me uis? : : Ut bene sit tibi.

Truc. 432:

Num quippiam aliud me uis? : : Ut, quando otium
Tibi sit, ad me reuisas et ualeas : : Uale.

Mil. 575:

Numquid nunc aliud me uis? : : Ne me noueris.

De sententiis condicionalibus *nisi quid uis* sim. u. supra. — Cf etiam Pseud. 370:

Numquid aliud etiam uoltis dicere? : : Ecquid te pudet?

Capt. 400:

. . . Numquid aliud uis patri Nuntiari?

Trin. 198:

Numquid prius quam abeo me rogaturu's? : : Uale.

Iam breuiter comprehendamus ea quae de formula illa disputata sunt.

1. Locutiones quae sunt *Numquid uis* et *Numquid aliud* multo frequentiores sunt quam ceterae; occurrit enim illa quater decies, haec sexies.

2. *Me* non additur nisi ubi uersus uocula illa carere non potest; *me* ante *uis* collocari solet (Cist. 119, 117; Curc. 522; Epid. 512; Pers. 735, Truc. 432; Pers. 692 sq.); ordo inuersus *me numquid uis* Aul. 175 iustam habet excusationem, u. supra. *Numquid uis me* apud Plautum frustra quaeras, quamquam poeta potuit ordine illo uti Amph. 512. 544. Men. 328. Bacch. 604. *Me* addito metrum pessumdatur Men. 548.

3. Ad quaestionem illam responderi solet per imperatiuum (cf Truc. 883. Men. 548. al.), per sententiam *ut* particula illatam (cf Pseud. 665 Amph. 542. 544. al.), per coniunctiuum nulla addita particula: Bacch. 604. Capt. 191. Trin. 192. Curc. 525 sq. Poen. 801. Coniunctiuum nudum subsequitur *ut* cum coniunctiuo Poen. 912. Cf Persson l. l. p. 9 sq.

Quae cum ita sint, haud scio an uersum cum sermone et usu Plautino congruentem hunc in modum restituere liceat:

Meg. Ibo igitur, parabo. numquid uis [me]? Euc.
Istuc fiat: uale.

una litterula mutata (fi*a*t)[1]. de qua emendatione etiam Persson, praeceptor meus, cogitauit. — Exx. Terentiana: Ad. 432:

Numquid uis?:: Mentem uobis meliorem dari.

Hec. 272:

. . . Nunc quidem ut uidetur: sed numquid uis?

Eun. 191:

Et tu: numquid uis aliud?:: Egone quid uelim?

cf u. 341 rogo numquid uelit, u. supra. — u. 363:

Dabo operam. adiuuabo. numquid me aliud?:: Quo nunc is?::
Domum.

uis ante *aliud* add. A corr. rec. — Phorm. 458:

Res magnast:: Numquid nos uis?:: Fecistis probe.

ib. 151:

Numquid, Geta, aliud me uis?:: Ut bene sit tibi.

Cf Eun. 213: Sed numquid aliud imperas? — Ad. 247:

Numquid uis quin abeam?:: Immo hercle hoc quaeso, Syre.

Cf etiam Hor. Sat. I 9. 6:

Cum adsectaretur: 'Num quid uis'? occupo. At ille
'Noris nos', inquit . . .

[1] H. l. uariis emendationibus temptarunt homines docti; Abraham, Stud. Plaut. p. 213 . . . *numquid me uis?:: Ut ualeas:: Uale,* quod a librorum scriptura nimis abhorret; Leo: *istuc ei et uale,* p. 89; Redslob, "N. ph. Rsch." a. 1890 p. 20: . . . *me uis?:: Istuc* (i e. quo properas) *ei. uale.* Sed uiri illi correctoris B^2 traiectionem *Numquid uis me* nihil curarunt. Seyffert, "Berl. phil. Woch." V p. 269 sq. uersum hunc in modum formauit:

Ibo igitur, parabo. numquid uis me? Euc. Istuc. Meg. Fiet. Euc. Uale

duarum personarum notis additis. Sed *me* potius delendum esse credo, u. supra. De *istuc* cf Bacch. 757; *fiet* Mil. 908. Eun. 208. Haut. 594.

Index locorum critice tractatorum.

In hoc libello continentur: